

Carl Gottlob Hofmann Georg Friedrich Stranz

**Dissertatio Inauguralis Theologica De Spiritu Qui Vita Est Propter Iustitiam Ex
Rom. VIII. u. 10**

Vitembergae: Eichsfeldius, [1747]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn845298305>

Druck Freier  Zugang



106 a. B.
48. b. 8.

19.

Fa-1092 (19.)

DISSERTATIO IN AVGVRALIS THEOLOGICA^{6.}
DE
S P I R I T V
QVI VITA EST PROPTER
IVSTITIAM
EX ROM. VIII. u. 10.

QVAM
SVB PRAESIDIO
D. CAROLI GOTTLLOB
HOFMANNI

SS. THEOLOGIAE PROFESSORIS PVBL. ORDIN.
SENAT. ECCLESIAST. ADSESSORIS AEDIS MARIAN.
PASTORIS AC CIRC. SAX. ELECT. SVPERINTEND.
GENENERAL. H. T. THEOLOGICI
ORDINIS DECANI


IN ALMA LEVCOREA
PRO LICENTIA
SVMMOS IN THEOLOGIA HONORES OBTINENDI
D. XXIV. MAII M DCC XLVII.

PVBLICE DEFENDET

DISSERTATIONIS AVCTOR

M. GEORGIVS FRIDER. STRANTZIUS
PASTOR ECCLESIAE SCHNEEBERGENSIS SCHOLAE
INSPECTOR AC EPHORIAE ZWICCAVIENSIS
ADIVNCTVS PRIMARIVS.

VITEMBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.





PRO O E M I V M.

Qmne quidem uerbum, diuinitus nobis
reuelatum, thesaurus est toto terrarum
orbe longe praestantior, et homo Dei
salutisque suae amans semper illud DA-
VIDICVM, Ps. CXIX. u. 72. תָּבוּדְלִי
מְאַלְפִּי זָהָב וּכְסָף non ma-
gis in ore, quam animo habet: Duea
tamen partes codicis sacri, tanquam pretiosissimae aurea
in corona gemmae, cum aliis praefulgent, lucidumque
splendorem emittunt, nempe precatio illa sacerdotalis pau-
lo post morituri Iesu, quam discipulus Saluatoris dilectis-
simus, IOANNES Euangelista, ex ore Iesu haustam, c. XVII.
nobis dedit litteris consignatam; Et aurea legati praecipui
Iesu Christi, PAVLI uidelicet, epistola ad Romanos scrip-
ta. De illa omnino communis totius Germaniae praece-
ptoris, PHILIPPI MELANCHTHONIS, iudicium et con-
silium, nec digniorem, nec sanctiorem, nec fructuosiorem, nec
magis patheticam, uocem in coelo ac terra unquam auditam fu-
isse, quam banc ipsius filii Dei precationem; item, dulcissi-
mam banc precationem ediscendam, et saepe magna intentione
A ani-

animi cogitandam esse (a), nobis admodum probatur: Quod ad hanc attinet, cum B. Theologo, IACOBO WELLERO, eam clauem Theologiae et σπλοθίκην, seu armamentarium et Catechesin Christianorum (b); nec non cum B. SEBAST. SCHMIDIO nobilissimam omnium Epistolarum Paulinarum (c), quicquid ueritatis hostes nobis ogganniant (d), existere, omni iure statuimus. Quare et ego, et si totam scripturam dies noctesque meditor, multorum tamen excitatus exemplo, has duas Diuinioris codicis particulas continuae in primis considerationi destinaui, maxime cum ex quilibet sanctioris mihi Theologicae notitiae compendium queam depromere atque formare. Pergratum itaque accidit mihi, ut in praesentia ex concessione benignissima SVMME REVERENDAE FACULTATIS THEOLOGICAE specimen qualemque mearum exhibere possem meditationum. Desumtum uidelicet est illud ex Capite VIII. u. 10. elegantissimae PAVLI epistolae ad Romanos scriptae, ex quo prae ceteris uerba:

Πνεῦμα δὲ ζωὴ διὰ τὴν δικαιοσύνην, pluribus illustrare constitui, spiritum, utpote, qui uita est propter iustitiam, pro uirili descripturus. Id quod hoc fiet ordine, ut pri-
mum singula textus uerba breuiter explicem, deinde pri-
mariam in iis latentem doctrinam, quantum speciminis

Aca-

(a) Oper. P. III p. 834.

(b) in Praef. Comment. in hanc epist. praemissa.

(c) in Comment. in hanc epist.

(d) conf. B. IO. IAC. RAMBACHIVS in *Introduct. Comment. in hanc epist. praemissa* §. 12. p. 18. seq. qui non solum Cerinthianos Veteris eccliae hereticos, ut infensissimos huius epistolae hostes, allegat, sed etiam ex IO. WOLFI Lection. Memorab. cuiusdam episcopi Romanen-
sium haec profert uerba: Scitisne, quid ego cum epistolis Pauli agerem, si solus eas haberem? Resp. sub rosa dictum sit, in ignem eas conuicerem. Reliqua taceo. Sed ratio huius contentus in promtu est: Nempe PAVLVVS admodum falsis eorum doctrinis, maxime errori de operum merito, contradicit: Hinc illae lacrymae!

Academicci cancelli, atque angustum temporis spatum permittunt, eruam, atque concise confirmem. Faxit Deus, ut hic labor in Summi Numinis gloriam, coelestisque ueritatis confirmationem sic eueniat, ut uel exiguum exinde commodum ad sanctioris coetus, Christo in his terris collecti, instructionem, redundet. *Sanctifica nos Deus in ueritate tua, uerbum tuum est ueritas!*

SECTIO I. EXEGETICA.

CONSPPECTVS:

- §. 1. Συνάφεια textus ostenditur.
- §. 2. Sensus eius in antecessum praemittitur.
- §. 3. 4. 5. Quid sit σῶμα ψεύδον, eruiatur.
- §. 6. Argumenta sententiae uerae profervuntur.
- §. 7. Oppositiō ex u. 9. remouetur, et quid sit ζωοποίους Συντάθη σωμάτων explicatur.
- §. 8. et 9. Quid πνῦμα in textu denotet.
- §. 10. Sententia uera ex aliis locis, ut Iudee u. 19. Hebr. IV. 12. Luc. I. 46. seq. Hebr. XII. 23. 1. Thess. V. 23. et formulis ecclesiasticis: ἐπό-
- νη ὄμηρος et καὶ τῷ πνεύματι σα, corroboratur.
- §. 11. Alia lectio ξῆ pro ζῶν, repudiatur.
- §. 12. Qualis uita per ζῶν intelligatur, expenditur.
- §. 13. Ii, qui πνῦμα habeant, ex uerbis: εἰ καὶ σὸς ἐν ὄμηρος demonstrantur, simulque haec loquendi forma explicatur.
- §. 14. Voces δίαι, δικαιώσω, δικαιώσεις, δικαιομένη et δικαιοσύνη exponuntur.
- §. 15. Quo sensu hoc loco δικαιοσύνη sit amplectenda, ante oculos ponitur.
- §. 16. Paraphrasis textus subiungitur.

§. I.

Ante omnia contextus συνάφεια paucis est ostendenda. PAULVS, qui, pertractata pluribus iustificationis natura, ostensisque eius fructibus, ab initio Capitis VI. iustificatorum sanctificationem illustrare atque inculcare cooperat, tandem c. VII. a u. 14. seq. usque ad finem c. VIII. huius sanctificationis impedimenta remouet, quae partim interna, partim externa, existere, ostendit. Quod ad interna attinet, huc carnis, seu naturae hominis per lapsum Adami depravatae

A 2

uatae

uatae, repugnantiam omnino refert: quam a C. VII. u. 14. usque ad finem h. c. admodum exaggerat atque deplorat. Sed ab initio c. VIII. regenitis Dei filiis, qui malo illo anguntur atque contristantur, *remedia atque solatia*, aduersus hos carnis insultus, suppeditat, usque ad u. 17. h. c. a quo usque ad finem impedimentum ab *externa* desumit *ad afflictione* qua, iustificati sanctificatique, premuntur Dei filii, concinne, modoque solatii plenissimo, remouet atque reiicit. Igitur u. 1. huius c. VIII. praecipuum, idque efficacissimum aduersus tristitiam atque dubitationem, a carne repugnante ortam, solatium iustificatis sanctisque Dei filiis in animum reuocat, quod a priuilegio iustificatorum, quod ipsis perfectissimum Seruatoris meritum peperit, est desumtum. Nempe adfirmat, etsi fideles, perpetuo aduersus carnis repugnantiam certamine detineantur occupati urgeanturque, summo propterea contristati opere, tamen *εδεν καταιρεψα*, *nil quod ipsis actu condemnare possit*, seu nullam condemnationem superesse, quippe qui in uera in Christum Iesum fide sint atque maneant. Quam sententiam, omnis solatii plenissimam, deinde a u. 2. usque ad u. 11. sic confirmat, ut partim *in sua persona* u. 2-4. partim *in persona omnium fidelium* a u. 5-11. luculenter commonstret, sententiam hanc esse uerissimam, nil condemnationis superesse aut remanere iis, qui uera in Christum fide exornati, per hanc fidem iustificationem obtinuerint, etsi exitiosum et lethale per se in copore suo alant malum, et, quam diu corpore induti in hoc uiuant mundo, illud secum circumferant. Ergo textus, quem mihi illustrandum sumsi, nempe u. 10. huius c. VIII. est pars confirmationis, qua scriptor Θεόπνευσος illud fidelium priuilegium, ipsis ab omni condemnationis modo certissime, carnis repugnantia incassum contranitente, esse exemptos atque immunes, solidissi-

diffime corroborat; Id quod rite obseruatum, haud parum ad luculentam sensus explanationem contribuet.

§. II.

Nempe Apostolus hoc uersu 10. ostendit, fidelibus, et si naturalem secum corruptionem habeant, quae continuo reuiuiscat, ac nouas quasi sumat uires, uehementer Spiritus S. in anima hominis iustificati operationibus resistentes, quaeque spiritualiter considerata, reuera sit mors ipsis adhaerens et immanens, quamdiu in hoc uersentur corpore, nihil tamen condemnationis inesse, quam diu in Christo Iesu sint, atque Christi Spiritus per fidem in ipsis habitat, quia spiritus, seu noua in doles, in regeneratione per Spiritum S. ipsis donata, omnino uiuat, quin adeo ipsa sit uita propter iustitiam Christi, per fidem apprehensam, ipsisque applicatam ac imputatam. Sic uidelicet colligit Apostolus: *Quicunque, per Christi meritum iustificati, spiritu uiuunt, adeo ut hic spiritus ipsa sit uita, in iis nihil est condemnabile, quia in Christo Iesu sunt, et si carnis repugnantiam perpetuo sentiant, et hanc mortem, omnem per uitam, secum circumferant.* Atqui sic omnes uere fideles sunt comparati. Ergo nil condemnationis, seu, quod ipsis possit condemnare, in iis est reperiendum. Omnia haec multo erunt luculentiora, si singula textus uerba seorsim et distincte perlustrabimus.

§. III.

Particula aduersatiua *de* in nostro u. 10. hemistichio directam infert oppositionem, nosque ad prius hemistichium, per *μὲν* concessuum cum illo cohaerens, remittit. Proinde cum haec de oppositione testetur manifesta (e),

A 3

atque

(e) Particulae *μὲν* et *δὲ* non quidem semper opposita connectunt, sed quam saepissime disparata: At uero, quia in antecedentibus huius Cap.

6.
24.
2.
2.
2.
2.
19.
28.
1.
8.
3.
9.
10.4.
11.
12.

atque opposita iuxta se inuicem posita, magis patescant, prius comma huius uersus in antecessum ut explicemus, necesse est. Sed discrepant admodum interpretes in sensu huius hemistichii explicando, idque ideo inter δυσνόητα PAVLI, de quibus PETRVS 2. Ep. III. 16. loquitur, referendum esse, nonnullis est uisum. Multi itaque per σῶμα
νεροῦ Corpus hoc mortale intelligunt, quod, propter peccatum, omnino morti temporali eiusque praecursoribus, uariis infirmitatibus, morbis, aliisque afflictionibus, est obnoxium. Putant uidelicet, Apostolum hic obiectioni occurrere, quam formare sibi possent fideles, non adeo illud ἐδὲ ναρκίνημα ad se pertinere, quia morti omnino naturali, eiusque praenunciis, sint expositi. Quam sententiam, ut alios praetermittant, LOMBARDVS, RUPERTVS (f), GVIL. ESTIVS (g), IO. CALVINVS (h), VATABLVS, DRVSIVS (i), WILHELM. MOMMA (k), CAMP EG. VITRINGA (l), et ex nostratis in primis B. ABRAHAM CALOVIVS (m), IOACH. LANGIVS (n) pluresque alii, ex ueteribus pariter ac recentioribus Scripturae interpretibus, amplectuntur. Quamuis autem istam explicationem non penitus et absolute excludam, cum omnino τὰ οὐλία τῆς αἰματίας Γάροτες, mors etiam naturalis sit ex Rom. VI. 23. quae eis πάντας αὐθεόπες διηλθεν, εφ
πάν-

aliquoties directa per eas oppositio est facta, et membra huius uersiculi eandem quoque diserte secundum singula uerba inferunt, ipsam in subiectis propositionum esse statuendam, arbitror.

(f) excitante eos B. IAC. WELLERO ad h. l.

(g) in Comment. ad h. l. p. 83. f.

(h) in Comment. p. 54.

(i) in Critic. Augl. T. IV. p. 2654. et 2659.

(k) in Meditar. Posthum. in Epist. ad Rom. et Galat. p. 491.

(l) in Observ. Sacr. I. II. c. VIII. §. 5. p. 371.

(m) in Bibl. Illustr. ad h. l.

(n) in Apostolischen Licht und Recht ad h. l.

πάντες ἡμαγετον Rom. V. 12. et nos, quam diu uiuimus, radicem mortalitatis, quae non prius, quam in corporis corruptione extirpatur, circumferamus: Attamen non ita coarctandum esse textum, ut ad mortem tantum naturalem referatur, autumo, quia 1) contextus, in quo Apostolus contra impedimentum carnis disputat; 2) propria significatio τῇ νεκρῇ hoc loco, quo Apostolus de corpore uiuo loquitur (o); 3) oppositio τῇ πνεύματος, quod hoc loco non animam, in statu naturali consideratam, sed spiritum in regeneratione nactum, denotat; et 4) consolandi modus, quem querelae ob τὸ σῶμα τῇ θανάτῳ c. VII. 24. de quo in sequentibus plura opponit, omnino repugnare uidentur.

§. IV.

Nec, simpliciter amplectendam esse illorum sententiam, puto, qui hoc loco τὸ σῶμα pro synonymo τῇ σοὶς accipiunt. Contendunt uidelicet isti, hanc esse Apostoli mentem, carnem seu uitiositatem naturae quidem esse mortificatam, seu maiori ex parte extinctam, quod ad peccatum attinet, si Christus in nobis habitet: At Spiritum tamen, seu nouum et interiorem hominem, uiuere ratione iustitiae. Ita σῶμα οἰκαγτιας uarii ex Graecis priscae ecclesiae Patribus, THEODORETUS, THEOPHYLACTUS, OECVMENIVS, aliqui, sunt interpretati (p); Quam sententiam Reformati absque dubio sectati sunt, qui in uerstone Bibliorum Germanica hunc locum sic transtulerunt: *Der Leib ist zwar todt, die Sünde belangend.* Luculentius ex iis se in hunc modum expli-

(o) Profert quidem RAPHELIVS in Annot. Philolog. in N. T. ex Polybio et Arriano p. 435. locum ARRIANI in Epictet. in quo νεκρὸς loco θν. usurpatur: At, a propria ad ratiorem uocum significationem, non esse configiendum, puto, nisi urgeat necessitas.

(p) allegat eos SVICERVVS, in Thesaur. Ecclesi. sub uoce σῶμα.

explicuerunt IO. PISCATOR (q), CLARIUS et ZEGERS (r): et in eorum sententiam quoque discessit CL. GROTIUS, quem B. CALOVIVS refutauit. Id quidem uerum est, Apostolum, tum alias, tum saepius in hoc capite, uoces πνεῦμα et σάρξ sibi inuicem opponere, et per illam nouum, per hanc ueterem hominem, in renatis intelligere. Sed, 1) quia alias semper uoce σάρξ est usus, hoc autem loco σῶμα usurpat; 2) praepositio δια ad sensum minus obuium detorquetur (s), alia ut taceam: Non adeo hanc sequandam esse sententiam, autumo.

§. V.

Mea igitur sententia, per τὸ σῶμα Corpus hominis intellegitur naturale, et proprie sic dictum, non tamen sensu exclusiō, sed quam maxime cōnotatiō, ut ita omnino animam simul indicet, utpote quae est πεccάτοις δεκτή peccati. Istud corpus, in laxiori sensu sic acceptum, est mortuum, quia mortem secum circumfert, quamdiu homo uita fruitur naturali, etiam si uere regenitus et sanctus sit Dei filius. Nam σάρξ, caro seu uitiositas naturalis, in hoc corpore habitat, ita tamen, ut, ratione uere regenitorum, qui per fidem sunt iustificati, et in quibus Spiritus Christi habitat, uita spiritualis imperium teneat, mortique praeualeat ac imperet, cum e contrario in irregenitorum corpore mors illa spiritualis omne teneat imperium, luxque uitae spiritualis sit exticta. Illi hanc mortem, uiribus a Spiritu S. in regeneratione donatis, ac membra eius, mortificant, PAVLI monitis obtemperantes ad Coloss. III. 5.

vergaw-

(q) in Comment. in N. T. ad h. l.

(r) in Crit. Angl. T. IV. p. 2655. et 2657.

(s) Minus receptus est usus particulae δια, ex quo secundum seu formam denotat, quanquam RAPHELIVS l. c. eum ex POLYBIO uelit confirmare. Inde eam hoc loco ad hunc usum detorquere, minus commodum uidetur.

νεκρότατε τὰ μέλη ὑπῶν, τὰ ἐτὶ τῆς γῆς: Iste autem, nempe ir-
 regeniti, κατὰ σάρκα γένεται, nec τὰς περιέξεις τῷ σώματος θαυ-
 μάσῃ, ex Rom. VIII. 13. Haec uero mors in hoc habitans
 corpore omnia afflictionum atque calamitatum genera,
 quae piis omnino in hoc mundo sunt perferenda, adfert
 atque conciliat, et tandem ipsam corpori mortem attrahit
 naturalem, siquidem illa morte fidelium quoque corpora
 non exonerantur, quamdiu in hoc mundo uiuunt, utpote
 quae demum cum corporis ac membrorum eius corruptio-
 ne ab iis aufertur. In hunc modum τὸ σῶμα fidelium, in
 quibus Christus est, quod est νεκρός, explicuerunt non solum
 HENRICVS MORVS, et alii (t), sed etiam B. PHIL. IAC.
 SPENERVS hunc hemistichii prioris sensum ita expref-
 fit (u): *Also ist zu begreiffen der Leib mit samt der Seele und
 allen ibren Kräfftten und Würckungen, die natürlich sind,
 und so ferne sie in der Verderbniß stehen, daß der sündliche
 Leib sie durchdrungen hat, Rom. VI. 6.* Et paulo post τὸ νε-
 κρός sic exponit: *Wir verstehen durch dieses todt seyn zum
 vördersten zwar auch den geistlichen Todt, nachdem wir alle
 von Natur todt sind in Übertretung und Sünde, Eph. II, I. Co-
 loss. II, 13. entfremdet von dem Leben, das aus Gott ist,*
 Eph. IV, 18. *Denn obwohl wahrhaftig in der Wiedergeburth
 ein Leben mitgetheilet wird, so bleibt doch in der Natur des
 Menschen einiger Todt.* Vide reliqua, in quibus ab hac
 morte omnes et corporis et animae calamitates, quin adeo
 mortem ipsam naturalem deriuet. In primis autem lucu-
 lentissime in hanc sententiam se explicuit, Summus Theo-
 logorum, Magnificus D. V. E. LOESCHERVS, his usus uer-
 bis (x): *Hier ist zu mercken, daß Paulus hier nicht, wie
 B er*

(t) quos excitauit B. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS in *Cur. Philol. ad h. I.*

(u) in *concione quadam funebri* in h. I. *habita, P. VIII. Conc. X. p. 283. seq.*

(x) in *Decimis Euangel. P. I. Dec. II. N. 8. p. 164. l.*

er sonst oftthut, das Fleisch dem Geist entgegen setzet, sondern dem Leib: Σῶμα der Leib ist todt: Da er sonder Zweifel verstehet einen beseelten Leib, dergleichen er damals, und alle Wiedergebohrnen in diesem Leben hattent. Dieser beseelte Leib ist geistlich todt, und bleibt an ihm, so lange er ein natürlicher Leib ist, und nicht in der Auferstehung verberrlicher wird, etwas vom Tödt der Sünden, auch bey denen, in welchen der Geist das Leben selbst ist, oder in unvergleichlicher Lebens-Krafft stehet, etc. Hanc itaque prioribus praeferendam esse fententiam, rebus rite perpensis, omnino arbitramur.

§. VI.

Nam 1) sic propria τὸ σῶματος obtinet significatio, a qua non est discedendum, nisi urgeat necessitas: 2) non infrequens est Scripturae S. totum hominem, indolem eius et essentiam per τὸ σῶμα describere, ut corpus hoc modo animatum intelligatur. Ita Paulus Rom. XII. I. παραγινόμενοι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν λάταν, ubi Apostolus non requirit tantum, ut corpora in sacrificium uiuum tradantur, sed animas quam maxime includit, conf. Eph. V. 28. Rom. V. 6. Coloss. II. II. etc. (y). Tota propositio: τὸ σῶμα νεκρὸν δι' αἵματος optime fluit sic explicata: *Corpus uestrum animatum, est mortuum, seu mortem perpetuo secum circumfert ob peccatum in eodem habitans;* Et 2) sic hoc uersu optime se erigit Apostolus, cum c. VII. 24 mentis tristitiam

(y) τὸ σῶμα totum hominem, in primis, quando de seruis sermo est, quam saepissime apud Graecos scriptores denotare constat. Quam in rem plurima allegat exempla SVICERVS in Tbes. Eccles. sub noce σῶμα. Cum itaque corpus in primis cum membris suis in peccati exercitio carni inferiat, exinde illustratio qualifunque in hanc rem defundi potest, ut adfirmemus, Paulum propterea σῶμα νεκρὸν vocasse, quoniam ut mancipium carni, s. uitiositati naturae sit subditum.

tiam propter σῶμα τὸ θαύμα, quo liberari cupiebat, testatus esset. Nam ad hunc locum Apostolum, quando τὸ σῶμα uocat νεκρὸν, in textu nostro respicere, omnino adfirmo. Tὸ σῶμα τὸ θαύμα quidem per corpus mortale, quasi Apostolus, cum uitiositate sit imbutum, eo beata morte excedere cupiat, uti τὸ άναλυταῖς Phil. I. 23. sibi praestare fere, adfirmat, nonnulli Ecclesiae ueteris Patres, ut THEODORETVS et THEOPHYLACTVS (z) simpliciter explicant, quibus non paruuus numerus ex recentioribus Scripturae interpretibus assentitur (a), quod in praesentia excitare supercedemus: Attamen eum hoc loco a corpore animato, quatenus morti, seu naturae depravationi est obnoxium, et hanc mortem per totum uitiae curriculum sustinere cogitur, liberari cupere, suadent antecedentia. Cum uero hac in uita id fieri nequeat, se et omnes pios erigit hoc solatio, quod etsi τὸ σῶμα sit σῶμα θαύμα, s. νεκρὸν, tamen spiritus propter iustitiam existat uita. Et eundem quoque sensum existere uocis σῶματος in dicto illo Rom. VI. 6. arbitror, ubi adfirmat Apostolus, ueterem fidelium hominem una cum Christo cruci esse adfixum, ut abolitum sit τὸ σῶμα τῆς αἰωνίας, corpus peccati. Corpus fidelium animatum, est quidem corpus peccati, dum in hac ambulant uita: Sed aboletur tamen hoc peccati corpus in iis, qui in Christo Iesu sunt, dum uetus homo cruci adfigitur, non quasi uitiositatem plane exuat, sed dum haec a Spiritu uincitur, reprimitur atque domatur. Firma itaque nobis perstat sententia, sensum dicti nostri eum esse genuinum, quem supra dedimus.

B 20. §. VII.

(z) Quos allegat SVICERVUS in Thef. Eccles. sub uoce σῶμα p. 1212.

(a) His quoque SVICERVUS. I. c. ipse accedere uidetur, qui CLEMENTEM ALEXANDRINVM minus accurate locutam esse contendit, quia Stromat. Libr. III. p. 433. potius hoc corpus de uitiositate naturae interpretatus fuerit.

§. VII.

Videtur quidem uersus subsequens II. ab eorum partibus stare, qui τὸ σῶμα νεκρὸν de morte temporali exponunt, quia Apostolus iis, in quibus Spiritus Dei inhabitat, τὴν ζωοποίησιν τῶν θυητῶν σωμάτων promittit; Ex quo posset colligi, Apostolum ad euellendum hoc dubium atque destruendam hanc obiectionem, quasi τὸ σῶμα κατάνεμα non omnino in fidelibus rationem posset inuenire, quia corpus mortale sit, morique cogatur, adhuc aliud addere momentum, et praeter uitiae spiritualis actiuitatem, iis etiam futuram corporum resuscitationem in animum reuocare, ut sic fortius habeant praesidium contra mentis tristitiam ex mortalitate corporis enatam. Sed non uacat quidem curatius in genuinum huius uersiculi sensum inquirere. Attamen pauca non possum non monere. Detur, Apostolum hoc loco de resuscitatione corporum nostrorum ex morte loqui: Attamen noua illatio: Εἰ τὸ πνεῦμα ἐνοίκει ἐν ὑμῖν, Paulum ad aliud solatii genus progredivi testatur. Nempe uult eos, qui ob σῶμα, quod est νεκρὸν, dum uiuunt, et quod tandem destructioni ob uitiositatem naturae inhaerentem erit obnoxium, sunt solliciti, solido resuscitationis corporum solatio erigere, quae corpora tum radice peccati penitus liberata et non mortalia, sed incorruptibilia ex sepulcris sint proditura. Et sic uersus noster 10. sensu supra a nobis demonstrato potest optime intelligi, etsi hoc u. II. Apostolus ad corporum uiuificationem tanquam solatium aduersus corporum destructionem ob naturae uitiositatem omnibus quoque fidelibus imminentem et certo futuram progrediatur.

§. VIII.

Sic itaque ad illud, quod mihi in primis sumsi explicandum, progredior hemistichium, ubi uox πνεῦμα, quae sub-

Subiecti loco in propositione Apostoli ponitur, ante omnia erit euoluenda. Πολύσημον esse hanc uocem tum apud Scriptores Graecos, tum in primis in Graeco Noui Testamenti textu, utpote in quo uarii ueteribus gentium scriptoribus incogniti significatus eius sunt obuii, edocent Lexicographi, e quibus maxime consulendus est, post SVICERVM, qui τὸ πνεῦμα ex Patrum scriptis secundum singulas eius significations dextre illustrauit, utilis CL. SCHOETTGENII labor, quem Noui Testamenti textui impendit. Quaeſtio uero est, quo sensu haec uox hoc loco fit accipienda. In uarias rursus discedunt sententias Interpretes. Illi, qui per σῶμα corpus naturale, morti temporali obnoxium, intellecterunt, τὸ πνεῦμα, aut de anima rationali exponunt, quae corpore mortuo adhuc uiuat, ut MOMMA I. c. (b) contendit: aut per τὸ πνεῦμα nouum hominem, seu nouam indolem in regeneratione a Spiritu S. in anima fidelium productam intelligunt, quae IOACH. LANGII et aliorum est sententia: aut idem hoc πνεῦμα de Spiritu S. interpretantur, uti B. CALOVIVS cum ESTIO, quem excitauit, opinatus est, ut sensus Apostoli emergat iste: *Et si corpus mortalitati est obnoxium et omnino mori oportet, tamen Spiritus S. id inhabitans eius est uita (c).* Sed nulla istarum perplacet sententiarum. Non prima, quae MOMMAE est, Christi enim iustitia animae non peperit uitam naturalem aut essentialem, quam natura habet sua immortalitate a sapientissimo rerum conditore statim in

B 3

crea-

(b) Verba eius haec sunt: *Spiritus uero, hoc est anima, uita est ob iustitiam, quae uita consistit in illius immortalitate et introducione in gloriam.*

(c) Verba CALOVII ita sunt comparata: *Corpus quia inhabitatur a Spiritu S. et si propter peccatum mori subiectum sit --- tamen per inhabitandum Spiritum uinit, id est, uita spirituali fruicitur, propter iustitiam Christi, quae per fidem imputatur.*

creatione donata. Quare anima, quam Deus mediante ad-
flatu homini inspirauit, uocatur חַיִם ex Genes.
II. 7. ad quem locum rectissime commentatur Magnificus
ZEIBICHIUS (d), fautor noster, omni pietatis cultu co-
lendus, ita: *Den Geist derer Leben.* In dieser Seele war das
edelste, nehmlich das vernünftige Leben. Sie war ein Geist
mit vielen Lebens-Kräften; ein Geist, der zeitlich und ewig
leben, ja von dem in Zukunft viele andere lebende Seelen her-
stammen solten. Praeterea impiorum animae, quae Christi
iustitiam respnuunt, in aeternum uiuent, et si a uita beata et
aeterna, *νωτὶ ἐξοχὴν* sic dicta, exclusae. Nec secunda o-
pinio, salua de mortalitate corporum sententia, ab Aposto-
lo hoc loco intellecta, quam statuunt, obtineri potest,
quia oppositio per eam tollitur, quam tamen Apostolus
per particulas *μὲν* et *δὲ* innuit, et de qua singula totius uer-
sus uerba si recte considerantur, ac inter se conferuntur,
testimonium sufficiens, perhibent. Nam corpori mortali
non opponitur nouus homo in regeneratione donatus,
sed ueteri homini, seu corruptioni hominum per lapsum
attractae, uti Apostolus Paulus in primis in epistolis suis
hanc rite obseruauit oppositionem. Et hac ex causa et-
iam tertiam de Spiritu S. opinionem amplecti non possu-
mus. Quamuis igitur has opiniones de *novo homine* et
Spiritu S. non simpliciter excludamus, ut sequentia doce-
bunt: Attamen, oppositione rite obseruata, aliud omnino
propositionis subiectum erit statuendum. Illi interpretum,
qui *τὸ σῶμα* pro synonymo uocis *σῶμα* accipiunt, *πνεῦμα* pa-
riter de spiritu in regeneratione accepto, seu de *nouitate na-
turae*, ut PISCATOR (e) se explicat, intelligere cogun-
tur.

(d) in Bibliis Exegeric. ad h. I. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

(e) Verba eius sic se habent: *τὸ πνεῦμα*; id est, nouitas illa naturae unde
exsistit studium pietatis: Cuius nouitatis auctor et effector est Spiritus S.
Meronymia efficientis.

tur. Sed si illud uerum est, τὸ σῶμα. alio paululum sensu, quam σὰρξ explicandum esse, quod supra euicimus, omnino oppositio ab Apostolo facta, tolleretur, si in hac perstaremus sententia.

§. IX.

Quemadmodum igitur ad meam quod attinet opinio-
nem, per τὸ σῶμα Corpus animatum, seu cum anima
unitum, idque in naturali eoque corrupto consideratum
statu, intellexi, ita ut oppositionis hoc loco omnino per
τὸ πνεῦμα animam hominis tere regeniti atque renouati in-
telligo, eamque non solam, aut a corpore distinctam, sed
cum eo arcte coniunctam; seu animam hominis talis, in
quo Christus est et Spiritus S. habitat, ita tamen, ut etiam
corpus simul innuatur, utpote quod a Spiritu S. inhabi-
tante non minus occupatum ac inhabitatum, pariter sancti-
ficatur. Vno uerbo: Vox πνεῦμα, seu anima, sumitur in
fensi non exclusiō, sed connotatiō. Indicat primario
animam; connotat simul corpus, idque secundario. Nam
et si anima hominis regeniti est περῶτον δεκτικὸν gratiosae hu-
iūs inhabitacionis: Attamen corpus etiam secundario, par-
ticeps eius redditur; seu δέυτερον est huius gratiae δεκτικὸν.
Quare PAVLVS 1 Cor. III. 16. ad Christum conuersos re-
genitosque ex Corinthiorum coetu, unaque omnes, quo-
cunque fideles non solum generatim, secundum utramque
partem hominis essentialē, animam corpusque, conside-
ratos, ita alloquitur: Οὐκ εἰδατε, ὅτι ναὸς Θεοῦ ἐστε, καὶ τὸ πνεῦ-
μα τῇ Θεῷ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν. Quod 2 Cor. VI. 16. repetit: Τμῆται
ναὸς Θεοῦ ἐστε ζῶντος; sed etiam diserte Corinthios 1 Cor. VI.
19. a scortatione dehortans, corpus eorum templum uocat
Spiritus S. his uerbis: Τὸ σῶμα ἡμῶν ναὸς τῇ ἐν ὑμῖν οἰκεῖ
πνεῦ-

πνεύματος. Hinc pulcherrime in hanc rem **PAVLINVS E-**
piſtol. XII. cecinit:

*Corpore, mente, fide, castissimus incola Christi
Condidit iſta Deo tecta Seuerus ouans:
Totus ut ipſe Dei templum uiget hospite Christo,
Gaudentemque humili corde gerit Dominum.*

In tali itaque coniunctione uere credentium anima hoc loco per τὸ πνεῦμα indicatur, haecque ζωὴ uocatur, ut paulo post uidebimus, non autem in naturali considerata statu, (sic enim σῶμα θαύμα est) sed quatenus est regenita atque in unione cum Christo uersatur. Sic B. SPENERVS (f) recte scribit: *Der Geiſt mag nun zuförderſt heiſſen die Seele, die ohne das dem Leib eigentlich entgegen ſtehet, und in der das Werck der Heiligung meiftens vollbracht wird, aber wir können den Leib auch nicht bloß darvon auschliessen, ſondern derselbe hat eben sowohl ſeinen Theil an dem Leben, das hier den Gläubigen beygeleget wird, und wird ſich ſolches dermableinst zeigen.* Nec adeo noua est haec sententia, sed uesteribus ecclesiae patribus iam comprobata, siquidem THEODORETVS (g) τὸ πνεῦμα hoc loco luculenter ſic exponit, intelligi, adfirmans τὴν ψυχὴν ὡς πνευματικὴν ἡδη γεγενημένην, animam iam spiritualem factam.

§. X.

Ignotus quidem, uti iam monui, fuit significatus uocis *πνεύματος*, ex quo animam regeneratam renouatamque per Spiritum S. denotat, in scriptoribus profanis: siquidem his nil de hominis regeneratione per Spiritum S. in anima hominis operantem innotuit: At non infrequens est in scriptis ab Euangelistis et Apostolis Θεοπνεύστως consignatis. Sic enim

(f) loco ſupra citato p. 286. seq.

(g) teste SVICERO ſub uoce πνεῦμα p. 779.

enim in epistola Iudee u. 19. uocantur ἐμποιητας ψυχης, πνευμα μη ἔχοντες. Quo loco ψυχη et πνευμα coniunguntur, et denotat ψυχη statum animae naturalem, ex quo intellectus in rebus diuinis est obtenebratus, et uoluntas secundum carnis deprauatae concupiscentias agit, uti I. Cor. II. 14. πνευμα uero est eadem haec anima, sed regenerata et sanctificata, cuius intellectus est illuminatus, et uoluntas, domitis et subiugatis carnis concupiscentiis, ea agit, quae sunt Spiritus Dei, qui regenitos ad sanctas compellit actiones. Igitur ψυχης sunt impetus naturales sectantes, ex caecati ratione intellectus, et carnis corruptelis inferuientes, quod inde uenit, quia πνευμα εκ ἔχει, animam non habent, a Spiritu S. regeneratam ac renouatam. Recte ad h. I. CAMPEGIVS VITRINGA (b): *Ψυχη, obsequentes affectibus, siue iis motibus, qui nascuntur ex concupiscentia carnis, neque ullam in se sentientes operationem Spiritus S. quod est, πνευμα μη ἔχει.* Pariter coniunguntur uoces ψυχη et πνευμα Hebr. IV. 12. ubi per ψυχην anima hominis in statu naturali constituti, et non regeniti, qui naturales tantum uires habet, et deprauatum harum impetum sectatur, describit; per πνευμα uero eandem hanc animam hominis, at uero regeniti, qui secundum nouum hominem, seu uires in regeneratione impetratas agit, ductumque Spiritus regenerantis, ac ipsum inhabitantis, sequitur (i). Non obtinet quidem ubique haec obseruatio, ψυχη de anima irregenita, et το πνευμα de anima per Spiritum S. regeniti hominis, usurpari, utpote quando Maria in cantico suo Luc. I. 46. sq. primum ψυχης, deinde πνευμatos uocibus utitur:

C

Inte-

(b) de uitiosis Affectibus, Obseru. Sacr. L. III. c XI. p. 652. et conf. Diff. B. MART. CHLADENII ad h. I. de inspiratis sine Spiritu W. 1715. habita.

(i) Confer. plures in h. I. Dissertationes, MEISNERI, CALOVII, MEISII, SCHYMACHERI, aliorumque.

Interim tamen uox πνεῦμα etiam hoc loco de anima regenerata adhibetur, et Maria utramque animae denominacionem ad intimum animae desiderium in laudes Dei effusum, pluribus exprimendum coniungit, et coaceruat. Porro huc quoque pertinet locus Hebr. XII. 23. ubi nominantur πνεύματα δικαιω τετελεωμένων. Non equidem, hunc locum quam maxime esse controuersum, ignoro: Sed siue per iustos perfectos, seu consummatos intelligas, beatis in coelo iam adscriptos, quae sententia fuit quondam CL. THEOD. HASAEI (k); siue huc referas homines uere regenitos, qui a Spiritu S. aguntur in his adhuc terris uiuentes, quae opinio est CL. SCHOETTGENII (l), aliorumque, siue iustos perfectos interpreteris de primitiis sub initium N. T. conuersorum ex Iudaeis et gentibus, quae explicatio Magnific. MOSHEIMIVM habet auctorem (m): Semper tamen istud (nam illam litem componere non est nostrum) certum permanebit, τὸ πνεῦμα hoc loco de anima hominis uere regeniti et per Spiritum Dei sanctificati esse intelligendum. Ex multis tandem locis, quae huc referri possent, unum insuper excitare placet, nempe illum uexatum, atque a nonnullis ad falsam de tribus hominis partibus sententiam detorsum locum I Theff. V. 23. (n), in quo Apostolus coniungit τὸ πνεῦμα, τὴν ψυχὴν οὐ τὸ σῶμα, dum per πνεῦμα non tertiam hominis partem, sed animam eius, quatenus est regenerata, renouata et sanctificata, per ψυχὴν uero animam eandem, quatenus rationalis et in statu natura-

li

(k) in Biblioth. Bremens. Clasf. I. p. 112. seqq.

(l) in Horis Hebr. ad h. l. p. 993. seq.

(m) in disquis. de Ecclesia primogenitorum in coelo adscriptorum, Helmst. habita.

(n) conf. in hoc dictum multorum Dissertationes, ut B. BARTHII, Argentoratenfis Theologi, B. KLAUSINGII, B. IO. FRIDER. MAYERI, aliorumque.

li existit, indicat, et optat, ut Theffalonicensium animae, quatenus per Spiritum S. regeneratae in saluo maneant aut integrae, seu in pleno regenerationis statu, unde et fieret, ut uires naturales animae et corporis irreprehensibles custodirentur. Quemadmodum igitur locis hic allegatis, sic etiam in textu nostro τὸ πνεῦμα usurpatur de anima per Spiritum Christi regenita atque sanctificata; Id quod ex nostro loco eo magis elucescit, cum τὸ πνεῦμα corpori in naturali considerato statu, et quod νεκρὸν est, mortique spirituali obnoxium, opponatur. Sed idem quoque ex Liturgica illa ueteris ecclesiae formula, ex Gal. VI. 18 desumpta, patet, quando uidelicet sacerdos ad cultum Dei collecto populi coetui acclamabat: Εἰς ἡμᾶς αὐτὸν, populus autem respondebat: νοῦ τῷ πνεύματι σ. (o) Nam in ea per τὸ πνεῦμα anima regenerata et insuper donis administrantibus exornata, uenit intelligenda.

§. XI.

Nunc ad propositionis praedicatum est progrediendum, et uidendum, quid de spiritu, quem explicuimus, praedicet Apostolus. Addit: ζωὴν διὰ δικαιοσύνην, uita propter iustitiam. Paucis hic monendum, uerbum substantiuum ἐστι omissum esse, qua ellipsi, teste L A M B. BOSIO (p), nil in Graeca lingua frequentius. Id quod uersus noster testatur, in quo, utut breuiori, ter haec ellipsis eleganter adhibita deprehenditur, attamen ita, ut facile ex fine u. 9. hoc ἐστι possit suppleri: Et forsan toties Apostolus ad euitandam κακοφωνίαν τὸ ἐστι repetere noluit. Sed his, quae leuiora sunt, immorari nolumus: Potius alaci et inoffenso pede ad uocem ζωῆς explicandam progredimur. Sed non omnes hanc

C 2

uocem

(o) conf. SVICERVS in Theſ. T. II. p. 779.

(p) de Ellipsis Graecis p. 267. seq. edit. Schoettgen.

uocem exhibent codices ex antiquis temporibus ad nos transmissi. Sunt, qui pro ζωή, legant ζῆ, uiuit, quos IO. MIL-
LIVS ad h. l. (q) allegat. Quo factum est, ut in VVLGA-
T A Versione, quam uocant, textus noster sic translatus sit:
Spiritus uero uiuit propter iustitiam; quam eius fidem etiam
Germanica Romano - Catholicorum uersio sequitur: *Der
Geist lebet um der Rechtfertigung willen*. Sane haec transla-
tio, si illa auctoritas, qua comprobata est, infallibilis esset,
omnino foret absque haesitatione sectanda: At salua res est.
Communem lectionem, in nostris obuiam exemplaribus,
tantus codicum numerus corroborat, contra quem pauco-
rum fides nil ualet. Et plurimi ecclesiae ueteris patres a
nostrae stant lectionis partibus. Nam ATHANASIVS, BA-
SILIVS, IRENAEVS, AVGUSTINVS, TERTULLIANVS,
(r) et alii, non ζῆ, sed ζωή legerunt, et sic textum sunt in-
terpretati. Inprimis CHRYSOSTOMI uerba, quae WELL-
LERVS l. c. allegat, huc pertinent, utpote qui singulare
momentum rei in recepta nobis lectione quaesiuit, ita
scribens: Αλλα μή φοβηθῆς, νέκεωσιν αἰώνας, ἔχεις γὰς τὴν ὄν-
τως ζωήν, ην ἀδείας διαδέξεται θάνατος, sed ne timeas, mortifica-
tionem audiens, habes enim uitam reuera talem, quam nulla
mors excipiet. Quibus conformia sunt, quae THEOPHY-
LACTVS ad h. l. obseruat: Αὐτὴν κνέλως ζωή ὀπηνία πρέσσει τὴν
αμαρτίαν ἐσμὲν νεκροί, haec proprie uita est, quando peccato mor-
tui sumus. Concidit ergo Vulgatae testimonium, quippe
cui, falso credita, infallibilis Papae auctoritas, fidem con-
tra plurimorum Codicum manuscriptorum, patrumque Ve-
teris ecclesiae consensum conciliare nequit.

§. XII.

(q) lectiones Veleian. et Codicem Boerner. excitauit.

(r) quos B. IAC. WELLERVS ad h. l. excitauit.

§. XII.

Apostolus uidelicet fortius solatium tristitiae ob τὸν νεὸν, quod perpetuo per omnem uitam secum gestare cogantur fideles, et quod τὸν θάνατον C. VII. 24. mortem ipsam uocauerat, propterea in moerorem abreptus, hoc loco oppositurus, ad uitam prouocat, eamque adeo insignem atque praestantem, ut spiritus seu anima regenita ipsa sit uita. Non dicit enim: spiritus est uiuus seu uiuens, ut SYR V stranstulit, nec utitur uoce ζῆ, uiuit, ut VVLGATA habet, sed spiritus ipsa est uita; quod sane in abstracto sic dictum, multo maius est, quam quod in priori hemistichio de corpore concederat, illud esse mortuum. Sic uidelicet ex praesentia et inhabitatione Christi in fidelibus colligit Apostolus: *Etsi corpus uestrum in naturali consideratum statu omnino est mortuum, seu mortem in se habet, ob naturae depravatae uitiositatem: Anima tamen uestra regenita uitam habet tam eximiam, tam illustrem ac insignem, ut omnino ipsa uita uocanda sit, quia Christus, qui est ἀρτος τῆς ζωῆς, Io. VI, 36. et 48. in ipsa habitat.* At quaeritur, de quanam uita hoc loco Apostolo sit sermo? De uita naturali hoc ab Apostolo prolatum, ac fidelibus inculcatum contra tristitiam et dubitationem praesidium, per se non agere, supra iam monuimus: Nisi quis dicat, et hanc summis conflictatam cum miseriis, quae hominibus maxime piis uitam reddunt admodum acerbam, siquidem εὐ τῷ κόσμῳ θλιψιν ἔχετω, ex Io. XVI. 33. spiritu a nobis descripto, qui uita est, erigi, edulcorari atque confortari, sique etiam hanc uitam hoc spiritu in summam praecipitatam angustiam quasi restitui; id quod omnino certissimum est, quia iste spiritus, Christi illum inhabitantis spiritu huiusque uirtute corroboratus, uitam miseriis submersam corroborat, atque efficit, ut fideles,

deles, εν τῇ Θλίψει, σενοχωρεῖ, διωγμῷ, λιμῷ, γυμνότητι, καὶ δι-
νῷ καὶ μαχαιρᾷ, ὑπερυπνῶσι, διὰ τὸ ὄγκοπόσαντος αὐτὲς (nempe
per Christum, qui *ipsos amavit*, idque adeo, ut ex coelo de-
scenderit, in assumta carne cruci adfixus, quique in ipsis
habitat fidelibus) ex Rom. VIII. 35. et 37. Sed de eo in
nostra u. 10. parte solatio contra tristitiam ex carne inha-
bitante, seu depravatione hominis haustam, primario non
est sermo. At maxime indicatur uita spiritualis, quae ex-
oritur ex intima atque arcta animae fidelium cum Deo trin-
uno, in primisque Christo, coelesti sponso, conjunctione,
unione atque communione. Patet id ex propositionis con-
ditionalis antecedenti parte: *Ei χειρός εν υπν.* Haec enim
in hac uita uera demum est uita, si Christus uiuit in nobis:
Haec est uita κατ' ἐξοχήν, seu *eminenter et in excellentia qua-*
si sic dicta, de qua eleganter scribit **GREGORIUS NAZI-**
ANZENVS (s). *Μία ζωὴ πρὸς τὴν ζωὴν βλέπεται, εἰς θάνατον,*
η ἀμαρτία. *Ψυχὴς γὰρ ὄλεθρος, una uita est, ad uitam respi-*
cere. (agit de spirituali et aeterna uita) *Una mors pecca-*
tum est, est enim animae interitus. Pertinet huc egregia si-
militudo, quam Saluator ipse Io. XV. u. 1. 5. sic elocutus est:
Ἐγώ εἰμι ἡ ἀμπελός, ὑμεῖς τὰ ιλήματα ὡς μενῶν εν ἐμοὶ, καὶ γὼ εἰν
αὐτῷ, ἔτες φέρετε καρπὸν πολὺν. Palmites sane, quam diu in
uite sunt, eique adhaerent, uitam in se habent, atque fru-
ctus ferunt: Sed excisi atque amputati, uitam perdunt, ac
fructus gignere nequeunt: Sic etiam hominis anima, si est
regenita, atque Christus per fidem eandem inhabitat, ui-
tam habet, atque sic uiuit, ut ueros, Deo gratos, proba-
tosque fructus proferat: At uero exscissa ex hac uite coe-
lesti per peccata *η ψυχὴ*, est *σωμα φεγγὸν*, in sensu eminenti-
ori sic dictum. Eleganter scribit in hanc rem **GREGORI-**
VS

(s) T. I. Orat. XIX. p. 315. conf. **ELIAE CRETENSIS METROPOL.**
Comment. T. II. p. 763.

VS NYSSENVS (t): 'Επι της νοερᾶς φύσεως ή πρᾶς τὸ Θεῖον οἰκεῖωτις, ή αἰλοῦθης ἐσι ζωή, in intellectuali natura coniunctio cum Deo uera uita est. Vno uerbo: Quod anima est nostra nostro corpori, id Christus in sensu excellentiori est animae. Quemadmodum uero anima uitam suam, uitaeque uires, operari ualentem, cum corpore communicat, seu, ut GREGORIVS NYSSENVS (u) loquitur: 'Εστι η τῇ σωματος ήμων ζωή, est nostri corporis uita, quam diu corpus inhabitat, atque arctissimo cum eodem uinculo est coniuncta; cum e contrario corpus ab anima διαλύσει, seu rupto naturali uinculo, quo anima et corpus connectuntur, separatum, sit mortuum, atque in corruptionem abeat: Ita uenio, coniunctio atque communio Dei et Christi cum homine, animae regenitae, in qua Christus cum Spiritu suo per fidem habitat, est uera illa, spiritualis uita, *νωτὶ ἐξοχὴν* sic dicta, sine qua uita naturalis mors est uocanda. Vita enim haec si adest, homo uere uiuit, et anima, hanc uitam possidens, ita uiuit, ut ipsa sit uita: At uinculo unionis cum Christo rupto, anima et totus adeo homo cum corpore et anima in perniciem ruit, secundum Saluatoris dictum Io. XV. 6. 'Εὰν μή τις μένη ἐν ἐμοὶ ἐβλήθη ἐξω, ως τὸ κλῆμα νομῆ ἐξηγένθη. Quemadmodum uero haec uita nos perducit ad uitam aeternam, uere regenit et usque ad finem uitae temporalis in fide perseuerantibus, certo expectandam: Ita et hanc non penitus hoc loco excludendam putamus, sed una comprehendendi, ut ita Apostolus indicet: *Spiritus hic est uita, non solum spiritualis in hoc mundo, dum uiuimus, sed quae uos etiam, si in Christo permanebitis, ad uitam perducet aeternam.* Haec uita aeterna quidem realiter a uita fidelium in fide est distincta, quia teste

(t) *Orat. VIII. contra Eynomium T. II. p. 641.*(u) *Orat. de mortuis T. III. p. 619.*

teste PAVLO u. 24. h. c. in praesentia fideles τῇ ἐλπίδι tan-
tum ἐτώθησαν, ἐλπὶς δὲ βλεπομένη ἡνὶ ἐστιν ἐλπὶς: Sed tamen
certo futura est iis, qui in Christo permanent, et arcte cum
fidei uita est coniuncta. Quare etiam uita fidei, ζωὴ αἰώ-
νιος uocatur, Io. VI. 54. ὁ τρώγων με τὴν σάρκα, καὶ πίνων με
τὸ αἷμα, ἔχει ζωὴν αἰώνιον. Hoc modo in coelis haec uita
in fide uere perseverantibus parata, simul innuitur.

§. XIII.

Ex dictis satis superque patet, quinam illi sint, qui spi-
ritum hunc, qui uita est, habeant: Nempe sunt ii, in qui-
bus Christus est, quod Apostolus in antecedenti sui conditio-
nalis argumenti diserte indicat: *Ei δὲ χριστὸς ἐν ὑμῖν*. Quam-
uis uero iam multa ad sensum huius propositionis expli-
candum sint dicta: Insuper tamen unum et alterum uenit
monendum. In primis notandum est, Apostolum sermonem
aliquoties uariare. Versu 1. h. c. VIII. dixerat de iustificati-
bus: *οἱ ἐν Χριστῷ Ἰησῷ εἰσι*. Versu antecedente 9. his usus est
uerbis: *πνεῦμα Θεὸς οἰκεῖ ἐν ὑμῖν*, conf. et u. II. Versum uero
10. quem explico in praesentia, sic exorditur: *Ei δὲ χριστὸς ἐν
ὑμῖν*. Haec tria inter se inseparabiliter sunt connexa: Si
Christus in nobis esse debet, requiritur, ut nos antea simus
in Christo; i. e. uera fide eius meritum amplexi, per eius
partam nobis iustitiam, simus iustificati. Tunc Christus,
qui διὸ τῆς πίσεως in cordibus nostris habitat, ex Ephes. III.
17. uenit ad nos, per hanc fidem iustificatos, atque in nobis
habitat. Inde nobis acclamat Io. XV. 4. *Μείνατε ἐν ἐμοι, καὶ
γὰρ ἐν ὑμῖν*, conf. c. VI. u. 56. Et sponsa canit Cantic. II. 16.
וְהִיא בְּלִי וְאָבִי לִי (x) Vbi uero Christus est, ibi etiam spi-
ritus

(x) conf. Magnif. D. V. E. LOESCHERVS in *Decim. Euangel. P. V.* No.
4. p. 195. sequ. ubi luculentius, quale differeniam inter has duas loquendi
formulas intercedat, ostendit.

ritus eius est. Inde scribit IOANNES I. Epist. III. 24. Ο
τηρῶν τὰς ἐντολὰς ἀντεῖ, ἐν ἀντῷ μένει, καὶ αὐτὸς ἐν ἀντῷ. Καὶ
ἐν τέτῳ γινώσκομεν, ὅτι μένει ἐν ἡμῖν, ἐν τῷ πνεύματος, ἐν ἡμῖν ἔδω-
κεν. Conf. IO. XIV. 23. (y). Inhabitat ita Christus cum Spi-
ritu suo non solum animam, sed et corpus, uid. supra §. 9.
idque per arctissimam unionem. Quare ipse uocatur ca-
put, cuius membra sunt fideles ad Eph. IV. 15. ἡ κεφαλὴ δ
Χριστὸς, conf. Coloss. I. 18. c. II. 10. Eph. V. 23. Quam in sen-
tentiam bene PHOTIVS (z): Κέφαλὴ ἡμῶν τῶν πισῶν, ἐστιν
ὁ Χριστὸς, ὡς συστόμαν, καὶ συμμετόχων αὐτῷ γεγενημένων. Caput
nostrum, qui fideles sumus, est Christus, utpote qui eiusdem cor-
poris consortes et eius participes facti sumus. Ipse est uitis,
palmites sunt fideles, ac per fidem iustificati, uti §. 12. est o-
stensum. Vtrum uero haec Christi cum anima fideli unio
fiat per approximationem essentiae, an tantum gratiae, quo-
rum utrumque ego emphaticis Scripturae S. dictis motus
adfirmo (a), pluribus euincere in praesentia non uacat:
Sed tantum istud repeto, hos, qui ita cum Christo sunt uni-
ti, seu in quibus Christus est, illos esse, quibus tribuitur ab
Apostolo Spiritus, qui est uita propter iustitiam.

§. XIV.

Et ex his fluit fundamentum huius uitae spiritualis, qua
fruitur spiritus regenitorum. Nempe hoc fundamen-
tum est Christi iustitia. Indicat istud Apostolus, quando
addit: διὰ δικαιοσύνην. Διὰ praepositio hoc loco non formam,
aut secundum, sed propter, et ita causam efficientem et impul-
suam denotare, supra iam §. IV. est monitum. Quemad-
modum

D

(y) u. B. RAMBACHIVS ad h. l.

(z) apud Oecumenium p. 448.

(a) conf. D. GOTTFR. ERNEST. MULLERI, D. ANDR. KVNADI et
aliorum Dissertationes de Unione mystica, it. B. D. VAL. VELTHEMIUS
in Decad. Dispp. Theologic. p. 133. seq.

modum enim διάκειται, propter peccatum, corpus est mortuum: Ita διὰ δικαιοσύνην, propter iustitiam, spiritus est uita. Sed qualis intelligitur iustitia? Ad hanc quaestionem tunc respondebimus, quando prius in significationem uocis δικαιοσύνης inquisiuemus. Vox δικαιοσύνης descendit a uerbo δικαιεῖν. Hoc uero ex foro est deponitum, et nequaquam physicum habet significatum, ut infuso iustitiae habitu aliquem iustum efficere, aut iustitia imbuere denotaret, sed indicat iustum aliquem pronunciare, aut iustum aliquem absoluere, quicquid organi uocem Papae Romani asseclae, linguae Graecae imperiti, quos docte et solide confutauit B. CHEMNITIUS (b). Tria ab hoc uerbo descendunt Substantia, δικαιώσις, δικαιώματα et δικαιοσύνη, inter se non confundenda. Δικαιώσις denotat iustificationem ipsam, Rom. IV. 25. ἡ γέγενθι διὰ τὴν δικαιοσύνην, excitatus est (Christus) propter iustificationem nostram, conf. Rom. V. 18. Δικαιώματα uero significat iuste factum, et maxime in Scriptura statutum, morem, consuetudinem, idemque est, quod Hebraeorum מִשְׁפָטִים e. g. Hebr. IX. 1. δικαιώματα λατερίας statuta cultus (Diuini), conf. Rom. I. 32. c. II. 26. δικαιώματα τῆς νόμου, statuta legis, etc. Duobus uero locis Rom. V. 16. 18. et VIII. 4. id, propter quod aliquis iustus pronunciatur, designat, idemque est, quod satisfactio (c). At uox δικαιοσύνη uarios quidem in scriptura N. T. obtinet significatus, maxime tamen de iustitia fidei, et de iustitia operum usur-

(b) in Examine Concilii Tridentini P. I. p. m. 236. seq. edit. in 8. mai. Franc. 1606. exscriptae, ubi et ex Graecis auctoribus et usu sanctae linguae, usum huius uocis eruit. Addantur Dissertat. DEYLINGII, B. KLAWSINGII de uoce δικαιεῖν, it. KIRCHMAIERI de D. Pauli iurisprudentia: Eodem sensu Patres Veteris Ecclesiae explicuisse hoc uerbum, multis exemplis comprobat SVICERVUS in Thesauro P. I. sub noce δικαιεῖν.

(c) Quod egregie D. VERPOORTEN in Progr. ad inaugural. WERNSDORFI filii, Gedani emissio, ostendit. Conf. SVICERVUS in Thesauro I. c. de Patram usu huius uocis, sub δικαιώματα.

usurpatur. Sic quando **PAVLVS** Rom. IV. 3. scribit: ἐλόγησθε αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην, uox δικαιοσύνη de iustitia fidei Abrahamicae, seu de iustitia Redemptoris ab Abrahamo, uera fide apprehensa, usurpatur: At quando **IOANNES** I. Epist. II. 29. his utitur uerbis: ὁ ποιῶν δικαιοσύνην, de illo loquitur, qui *iustitiam operum*, seu *iusta opera*, et talia, quae lex praecipit, ex sincero peragit animo (d). Plura in hanc rem proferre, cancelli arctiores mihi positi prohibent.

§. XV.

His praemissis, nunc ad inquirendum uocis δικαιοσύνης sensum hoc loco, quem explico, progredior. In diversas hic denuo, non Versiones tantum, sed etiam Interpretes abeunt sententias. Vulgata reddidit: *Propter iustificationem*: Et sic etiam Germanica Catholicorum translation: *Vm der Rechtfertigung willen*. Nec est dubium, Pontificios iustificationem hoc loco interpretari, quomodo **CONCILII TRIDENTINI** Decreta eam Sess. VI. Canone XI. descripserunt: *Si quis dixerit, homines iustificari uel sola imputatione iustitiae Christi, uel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhaereat; aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei, anathema sit*; Addantur reliqui huius Sessionis Canones. Suffragantur eorum Interpretes, qui hunc locum, non de imputata, sed in nobis per Spiritum Dei effecta iustitia exponunt. Ita **ESTIVS** ad h.l.p. 84. Iuxta nostram uersionem sensus est: *Si Christus in uobis est: Tunc etsi corpus uestrum mortuum est, propter peccatum, spiritus tamen uester, siue mens uestra uiuit uita gratiae per iustitiam, quam in ea efficit Christi Spiritus,*

D 2

in

(d) Quomodo Patres hac uoce maxime in utrumque hunc sensum sint usi, ostendit **SVICERVUS** l. c. p. 910.

in uobis habitans. Sed nos repurgatis addicti sacris, brutum illud fulmen Paterculorum Trident. non metuimus: Nam 1) δικαιοσύνη nullibi denotat iustificationem, sed iustitiam, per quam iustificamur, et deinde, quam iustificati ostendimus, ex §. XIV. Id quod etiam ESTIVS ad h. l. agnouit, et si A LOYSIVS NOVARINVS (e) cum aliis, δικαιοσύνης uersionem per iustificationem sancte teneat. 2) Hoc loco primario iustitiam fidei intelligi, paulo post ostendam. At uero etiam ex Reformatis et puriori addicctis doctrinae Euangelicae, qui δικαιοσύνη notare iustitiam, non iustificationem, agnoscunt, plurimi hic δικαιοσύνης uocem de iustitia operum exponunt. Ex Caluinianis unum allegabo PISCATOREM ad h. l. ita: διὰ δικαιοσύνην, i. e. quod attinet iustitiam, s. ratione iustitiae, ut nimis nos impellat ad iustas piusque actiones. Sed nec aliter fere potuit PISCATOR: Quia enim τὸ νεκρὸν per mortificationem explicuerat, non poterat in priori hemistichio praepositionem διὰ aliter, quam per secundum exponere; Alias propter peccatum ueterem hominem esse mortificatum, minus commode translusset; Sensus enim inde ortus esset: *Vetus homo, seu peccatum uos inhabitans morti traditum est propter peccatum.* Hinc cum uero oppositorum ζωὴν tantum de uitalibus actionibus explicuerit, διὰ pariter, ratione seu secundum iustitiam uertere debuit, et operum iustitiam intelligere. Sed tamen ex nostratis nonnulli, non minus in hanc discesserunt sententiam, ut δικαιοσύνη in primis de iustitia operum h. l. exponerent. Quam in rem unum excito B. RAMBACHIVM, qui l. c. ita: *Iustitia h. l. opponitur peccato, adeoque intelligitur sanctitas uitae, seu exercitium eius, quod sanctum est.* Sed committit errorem non leuem uir celebris, dum peccato aliam,

(e) in Paulo expenso ad h. l. p. 46.

aliam, quam inhaerentem, iustitiam opponi non potuisse, existimat. Nonne peccato etiam opponitur iustificatio, s. absolutio a peccato? Ergo, non sequitur, ubi peccatum opponitur iustitiae, ibi iustitia legalis est intelligenda. Datur etiam iustitia euangelica, fidei imputata. Rom. IV, 5. Propter hanc, non propter illam, spiritus seu anima regenerata est uita, adeo, ut uitam perfectam in se habeat, uti iustitia Christi est perfectissima, quae tota omni credenti per fidem imputatur. Confirmo hanc sententiam ex antecedentibus ita: Illa hoc loco intelligitur iustitia, propter quam iustificatos ἐδὲν πατάρημα tangit feritque, ex u. 1. Hanc uero iustitiam P A V L U S u. 3. 4. exponit de ea iustitia, quae τὸ ἀδύνατον τῇ γόμφῳ, impossibile legis, seu quod nobis impossibile erat, ut impleremus, nempe τὸ δικαιόμα eius, seu satisfactiōnem impleuit. Sane haec tantum est iustitia Christi, quem Deus propterea ἐν ὅμοιώσατι σωκός αἰματίας in mundum misit, ut loco nostri (in quibus erat ἀδένεια διὰ τῆς σωκός, eam implendi) omne δικαιόμα legis impleret, et haec est sola fidei uita. Distinguo itaque ratione uitae spiritualis inter ipsam fidei uitam, et inter uitales actiones. Fidei uita est unica Christi iustitia, uera fide apprehensa, ex dicto P A V L I Apostoli ad Gal. II, 20. Ὁ νῦν ζῶ ἐν σωκῷ, ἐν πίστει ζῶ τῇ τῇ νῇ τῇ Θεῷ, τῇ αγαπήσαντές με καὶ παρεδόντος ἐμνήσης ἐμῷ. At uero qui uiuit, uitales edit actiones: Ita uita spiritus, iustitia Christi, per fidem apprehensa, consistens, actiones uitales ostendit, seu ut P E T R U S I. Ep. II, 24. scribit: Τῇ δικαιοσύνῃ ζῇ ταῖς αἰματίας αἰτογενόμενος. Primario itaque iustitiam Christi per fidem credentibus imputatam intelligo, quae fidei uita est, quanquam actiones uitales, quae a uita nequaquam possunt separari, aequo minus ac splendor a lumine, ex Matth. V. 16. remouendus est, non excludam, sed simul, attamen secundario comprehendam. In

D 3

hoc

hoc consentientem habeo B. SPENERVM (f), ita scribentem: *Was dieses vor eine Gerechtigkeit sey, seben wir u. 3. 4. Wo derselben Grund darinnen bestebet, daß GOTt sei- nen Sohn gesandt babe in der Gestalt des sündlichen Flei- sches, etc.*

§. XVI.

Totius igitur uersiculi sensus ex datis a me obseruati- nibus iste est: *Si Christus in uobis est, uobiscum per fidem unitus, corpus quidem uestrum animatum ita est modo spiritu- ali mortuum, ut mortem banc, propter peccatum eidem inha- bitans perpetuo secum habeat atque gestet: At uero anima per Spiritum Dei regenerata (in coniunctione corporis considera- ta) nibili minus tam illustri modo uiuit, ut ipsa uita sit uo- canda; idque propter iustitiam Christi fidei imputatam, quae per operum iustitiam nunquam non se luculenter exserere in- termittit.*

SECTIO II. DOGMATICA.

CONSPPECTVS.

- §. 1. Institutum aperitur.
 §. 2. Spiritus, qui uita est propter iusti- tiam, describitur.
 §. 3. Discremen inter animam in natura- li consideratam statu, et spiritu Dei regeneratam, statuitur.
 §. 4. Ostenditur, istum Spiritum, qui uita est, non ex naturalibus dari uiribus; ad Coloss. II. 13. explicatur.
 §. 5. Non immediate, sed per Verbum et Sacra- menta eum producere Spiritum S. edocetur. Deuter. XXXII. 47. ex- ponitur.
 §. 6. In quantum uerbi ministri ad eum aliquid conferant, exponitur.
 §. 7. Nonnulla de iis, qui illum nanciun- tur, differuntur, et I. Cor. VI. 17. illustratur.
 §. 8. Spiritum, qui uita est, non esse ter- riam hominis parrem, nec particulam essentiae diuinae, sed animam regenera- tam, demonstratur et I. Cor. XIV. 14. exponitur.
 §. 9. Vita, quae de hoc spiritu praedi- catus, pluribus describitur.
 §. 10. Quomodo haec uita uitalibus se exserat actionibus, ostenditur.
 §. 11. Lucta carnis aduersus hunc spi- ritum exageratur.
 §. 12. Arma militis Christiani tradun- tur.
 §. 13. Clausula subiungitur, quae piis uotis constat.

(f) l. c. p. 288.

§. I.

§. I.

Mente Apostoli praecipua secundum momenta in *pri-
ma Sectione* perspecta, nunc ad doctrinam de spiri-
tu, qui uita est propter iustitiam, progredimur, eun-
dem succinete enucleaturi; quod eo breuius fieri poterit,
quo magis explicatio textus nobis iam plura ante oculos
posuit.

§. II.

Spiritus, qui est uita, anima est, una cum corpore illuminati,
conuersi, regenerati iustificatique hominis, et in qua Chri-
stus habitat, quae spirituali modo propter iustitiam Christi ue-
ra fide apprehensam eique imputatam uiuit, uitamque in se mo-
do eminentiori habet, quamvis mortem, seu naturalem uitiosita-
tem secum, quamdiu homo uiuit, circumgestet, atque in perpe-
tua cum illa uersetur lucta, donec homo in morte ab isto ma-
lo liberetur, et anima, loco spiritualis, aeternam uitam obi-
neat.

§. III.

Distinguendum itaque est inter animam in statu conside-
ratam naturali, et eandem animam, quae per Spiritus
S. operationem est illuminata, conuersa, regenerata, iustifi-
cata, et ita ad uitam spiritualem producta. Illo considera-
ta modo, ea spiritualiter est mortua, naturaliter uiuens.
Nam facultates eius, intellectus et uoluntas, summam per
Iapsum passae sunt depravationem ac corruptionem. In-
tellectus est ita obscuratus, ut ex I. Cor. II. 14. Φυλητὸς ἀν-
θρώπος, naturalis homo (quatenus tantum φυλητὸς habet, τὸ
πνεῦμα uero ei deest) non apprehendat, quae sunt Spiritus
Dei,

Dei, sed stultitia sint ipsi (a). Inde homo in statu mere naturali σωτηρίᾳ in abstracto appellatur, ad Ephes. V. 8. Voluntas autem cum omnibus animae affectibus ita est peruersa, ut omnia figura cogitationum sint mala ex prima infantia (בָּאָרֶם רַב מַנְעָרוֹ) ex Genes. VIII. 21. coll. cum VI. 5. (b) At uero Spiritus, qui uita est, contrarium tuetur, siquidem hic non solum intellectum habet illuminatum, sed et uoluntatem ad bonum directam atque tendentem, ac omnes affectus per Spiritum Dei, qui animam inhabitat, sunt repurgati, ita tamen, ut caro perpetuo inhabitans, sed non dominans, repugnet. Vtrumque in textu nostro indicatur: Nam non solum corpus dicitur νεκρός, propter peccatum, sed et πνεῦμα ζωή, propter iustitiam; quod in sequentibus clarius atque distinctius declarabimus.

§. IV.

Spiritum, qui uita est, nemo ex naturae possidet uiribus, sed donatur ille a Spiritu S. corroboratur atque confirmatur. Naturae uires sunt σῶμα νεκρόν, *corpus mortuum*, propter peccatum, homini ingenitum, eumque inhabitans, ad ea, quae Spiritus Dei sunt, per se percipienda et facienda penitus inidoneae. Id quod ex textu ita comprobo: Si homo regenitus secundum uerba Apostoli a nobis explicita, corpus, quod est mortuum, dum uiuit, secum habet, multo magis de irregenito istud uerum est, utpote qui spiritum non habet, ex I V D A E u. 19; sed totus σῶμα est νεκρός. Inde P A V L V S Colosenses c. II. u. 13. ante conuerzionem νεκρὸς fuisse scribit ἐν τοῖς παραπόμασι ηγετῆς τῆς σαρκὸς. Per αὐτούς non describit Apostolus statum

(a) uid. ad h. l. quae pluribus obseruauit B. WOLFFIUS, in *Curis Philolog. et Critic.*

(b) conf. Magnif. ZEIBICHIUS ad h. l.

tum Colosserium non circumcisorum, sed significat τὸ σῶμα τῶν ἀμαρτιῶν τῆς σαρκὸς ex u. ii. h. c. a quo liberati erant περιτομῇ ἀχειροποίητῳ, nempe ἐν περιτομῇ τῇ Χειρὶ. Recte THEODORETUS (c) ἀνεργίαν τῆς σαρκὸς τὴν πονητὴν ἐκδιλεσε, διδάσκων, ὡς ἡμῖν τῇ σώματος ἀκέρδεσίᾳ οὐδὲν λαβάται τοῖς ἔχεσιν, οὐ δὲ τῇ ψυχῇ σώματι λαμβάνεται, οὐδὲ ψυχῇ, carnis praeputium appellavit uitium, docens, corporis quidem praeputium nihil damni adferre iis, qui id habent, sed animae praeputium et corpori nocere et animae (d). Ostendit igitur Apostolus, Colossenses, et omnes homines in statu naturali consideratos, et ante conuercionem ἀνεργίας esse, id est, uitiositate ac naturae prauitatem ita submersos esse, ut omnino penitus sint sensu spirituali mortui. Quare etiam non conuersi, in quibus σῶμα τῆς ἀμαρτίας dominatur, multis Scripturae locis uocantur mortui. Ita PAULVS iis Ephes. V. 14. acclamat: Αὐτὸς ἐν τῷ νεκρῷ. Et de Angelo Sardiensi dicitur Apoc. III. 1. Τὸ δρυμα ἔχεις, ἐπι ζῆς, οὐδὲ νεκρὸς εἶ. At uero si homo in statu consideratus naturali νεκρός, seu mortuus est, non potest sibi ipsi spiritum, qui uita est, ex uiribus dare naturalibus. Quemadmodum enim homo naturaliter mortuus nullas habet uires ex suo resurgendi sepulchro, sed corpus eius indies magis magisque in corruptiōnem abit: Ita homo non conuersus, qui spiritualiter est mortuus, nequaquam ex suis uiribus habet spiritum, qui uita est, sed Deus homini eundem donet, necesse est. Inde et iste spiritus uocatur *nous homo*, appellatur *noua creatura*, et opponitur τῇ σαρκὶ, seu ueteri homini, aut naturae uitiositati, quam in statu naturali habemus, et quae in nos imperium exercet. Deus igitur est, Deus, inquam, trinus,

E super unum,

(c) T. III. p. 353. ad h. l.

(d) conf. SVICERVS in Thesaur. sub uoce ἀνεργίᾳ, ubi de hoc animae praeputio plura Patrum loca inueniuntur.

unus, qui per Spiritum S. nobis donat spiritum, qui est uita. Proinde Deus trinus uocatur Rom. IV. 17. ζωοποιῶν τὸν γενέσεα, et ille, qui est ἐν γενέων ζῶν, Rom. VI. 13. aut qui ζῶν est τῷ Θεῷ ἐν Χριστῷ Ἰησῷ, Rom. VI. 11. non ἐξ αἰμάτων, οὐ ἐν θελήματος αὐδήσεως, sed ἐν Θεῷ γεννηθείς, Io. I. 13. dicitur. Et cum Spiritui S. opus istud nouos creandi homines in primis approprietur: Sane iste Spiritus hominem ex carne natum, qui caro est, in spiritum, qui uita est, regenerat, ex Io. III. 3. 5. 6. Optime igitur pii CONFESSORES nostri in Artic. II. A. C. hominem per Spiritum S. renasci (scil. ad spirituale uitam) profitentur: in Artic. XII. contendunt, hominem naturalem non habere uim sine Spiritu S. efficiendae iustitiae Dei, seu iustitiae spiritualis; inde Pelagianos repudiant. Id quod in primis in Formul. Concord. Artic. II. elegans tissime est demonstratum atque confirmatum. Videant ergo ii, qui Tridentinis Paterculis adhaerent, contendentibus Seff. VI. Canon. IV. reliquis, hominem ad gratiam se disponere atque praeparare, mereque passiuē se non habere, quomodo hanc falsam atque Scripturae contrariam obtineant sententiam. Minimum sunt Semipelagianizantes, ea naturae tribuentes uiribus, quae tantum sunt Spiritus S. qui spiritum in nobis, qui uita est, absque uirium nostrarum co-operatione, creat atque producit.

§. V.

Sed istud opus, istamque creationem Spiritus S. non immediate peragit, sed nobis spiritum, qui uita est, per ordinaria donat media, nempe per uerbum et sacramenta. Verbum Dei esse illud medium, quo spiritus, qui uita est, excitetur, alatur, atque corroboretur, patet ex Mosis uerbis, Deuter. XXXII. 47. in quibus Israelitas ita alloquitur: *דְּבָרָה חַיְכָם uerbum hoc est uita uestra.* Nam his uerbis loqui-

quitur **MOS**ES non de uita longaeua in terra Canaan, ut-pote quam Israelitis in sequenti hemistichio promittit, sed de uita Spiritus et de uita aeterna (e). Vitam quidem lex homini dare nequit, quia est littera mortificans, teste **P A V L O**, 2. Cor. III. 6. Et Euangelium solum est πνεῦμα ζωοποιῶν (f): Sed dum lex hominem spiritualiter mortuum, ad peccatorum agnitionem adducendo, terrendo, comminando, mortificat, sique eundem praeparat, ut πνεῦμα seu uita spiritualis per Euangelium possit excitari, hic non ἀπλῶς est excludenda. Inde **I A C O B V S** c. I. 21. totam Scripturam S. uocat ἔμφυτον λόγον δινέμενον σῶσαι τὰς ψυχὰς, uerbum insititum, quod animas possit beare (g). Et uerbum Dei Hebr. IV. 12. uocatur λόγος ζῶν καὶ ἐνεργός, quia non tantum in actu primo uitam et efficaciam in se habet, sed etiam actu secundo uiuificam uim exserit. Praeter uerbum Dei huc pertinent Sacraenta. Sic de baptismo **P A V L V S** ad Tit. III. 5. his utitur uerbis: ἐσωσεν ἡμᾶς διὰ λατρεῖας παλιγγενεσίας καὶ ανακαίνωσες πνεύματος ὄγκος. Per baptismum itaque homo renascitur, non ad uitam temporalem, sed spiritualem, et saluatur. Inde cum medium esse efficax ad donandum, conseruandum, atque magis magisque confirmandum spiritum, qui uita est, inde colligimus. Addantur uerba Sal-

E 2

uato-

(e) **GROTIUS** quidem etiam haec uerba *de longa in terra Canaan uita exponit*: At refutauit cum solide **B. CALOVIVS**. **CLERICVS** ad partes **GROTI** se inclinauit, sed non solum in hoc incassum laborauit, sed etiam in eo, quod **דָבָר** h. l. per *rem* transtulit, cum tamen u. anteced. disserte hoc uocetur **דָבָר הַזֹּרֶה**; **כָּל־דָבָר** **דָבָר** Et uox **הַזֹּרֶה** h. l. ut alias saepius praecipue **P. C. XIX.** de tota doctrina a Moysi Israelitis tradita, deque omnibus praeceptis tum ad legem moralem, tum caeremonialem, pertinentibus accipienda sit.

(f) conf. elegantem **B. BARTHII** Diff. ad hoc dictum *de littera occidente Spiritu uiuificante*, Argentor. 1711. habita, in qua eleganter ostendit, per litteram legem, per Spiritum uero Euangelium esse intelligendum.

(g) conf. **B. WOLFIUS** in *Cur. Philol. et Critic.* ad h. l.

uatoris Io. III. 5. ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὑδατος καὶ πνεύματος, ἀ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Vbi per τὸ ὑδωρ absque dubio intelligitur baptismus, seu lauacrum aquae, cum quo Spiritus S. est coniunctus, et istud lauacrum nobis introitum ad regnum Dei aperit. Inde Rom. VI. 4. non solum cum Christo per baptismum consepulti dicimur in mortem, sed etiam ex mortuis excitati, ut ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν. Recte scribit BASILIVS M. (b) Ο τὸν ζωὴν ἡμῶν οἰκονομῶν κύριος τὴν τοῦ βαπτίσματος ἡμῖν ἔθετο διαθήκην, θανάτος τύπον καὶ ζωῆς περιέχεσσαν, qui nobis uitam dispensat Dominus, baptismatis pactum nobis statuit, mortis ac uitae typum habens. Sacram Coenam excitare, alere atque confirmare spiritum, qui uita est, patet ex Io. VI. 50. sequ. in primis §4. ὁ τρώγων με τὸν σάρκα, καὶ πίνων τὸν αἷμα με, ἔχει ζωὴν αἰώνιον. Nam si de spirituali fruitione corporis et sanguinis Christi, de qua in hoc Cap. VI. Ioanneo sermo existit, hoc est uerum, recte inde ad fruitionem corporis et sanguinis Christi in S. Coena inferimus, de hac id multo magis uerum esse. Recte scribit AMBROSIUS (i): *Quemadmodum integra refectio seu nutritio corporum cibo, qui est alimentum siccum, et potu, qui est alimentum humidum, constat: Ita in Eucharistia proponitur nobis Christus ut esca, et ut potus, nec deesse nobis quicquam putemus ad integrum alimoniam nostram, siue nutritionem spiritualem.* Ex quibus patet, quanto opere a regia aberrent uia ANABAPTISTAE, ENTHVSIASTAE et FANATICI, qui suis spiritum, qui uita est, immediate sine ordinariis mediis promittunt, quos concinne refutauit B. ZELTNERVS in Breuiario Controvers. cum Enthusiastis et Fanaticis p. 302. sequ.

§. VI.

(b) in libr. de Spiritu S. c. XV. p. 177.

(i) L. V. de Sacram. c. 4.

§. VI.

Ad hunc spiritum excitandum, alendum atque corroborandum, in tantum conferunt uerbi ministri, in quantum sunt *εἰκονόμοι τῶν μυστηγίων τῆς Θεοῦ*. 1. Cor. IV. 1. et 2. Tit. I. 7. 1. Petr. IV. 15. Nempe ministerialiter gratiae media offerunt, applicant, mentibusque instillant, quae uero media uitam hanc operantur. Inde PAVLVS Gal. IV. 19. testatur, se Galatas denuo parturiuisse, *ἄχεις δὲ μορφωθῆντες ἐν αὐτοῖς*. Vis uerbi atque Sacramentorum quidem non ab ipsa idoneitate atque applicatione ministrorum dependet, sed in se efficacia sunt uitiae spiritualis media: Attamen sic ordinem hunc instituit Deus, ut ipsi haec administrent, atque rite applicent. Egregie CONFESSORES nostri Artic. V. A. C. ita: *Vt hanc fidem consequamur, institutum est ministerium docendi Euangeli, et porrigi Sacra menta. Nam per uerbum et Sacra menta tanquam per instrumenta donatur Spiritus S. qui fidem efficit etc.* Propterea non spernendi sunt, sed ut *εἰκονόμοι* mediorum gratiae admittendi, et audiendi, quod contra omnis generis FANATICOS est notandum, qui spretis uerbi ministris, hoc officium cuius concedunt. u. B. ZELTNERVS l. c. p. 404. sequ.

§. VII.

De iis, qui hunc nanciscuntur Spiritum, eoque sunt exornati, iam supra Sect. I. §. 13. est actum: Nempe evictum est, spiritum, qui uita est, illis proprium existere, in quibus est Christus cum Spiritu suo, seu in quorum cordibus per fidem habitat. Inde constat, eos esse illuminatos, conuersos, regeneratos iustificatosque Dei filios, ex Gal. IV. 6. Ordo epistolae Paulinae id fatis confirmat. Nam de iustificatis tantum dixerat, *eos cum Deo habere pacem*, Rom. V. 1. de iustificatis tantum adfirmauerat, *eos esse sanctificato*s,

E 3

tos,

tos, c. VI. VII. de iustificatis tantum c. VIII. 1. euicerat, & dev natura ipsa eos tangere, quia sint in Christo Iesu; et quamvis ob peccatum adhuc habeant σῶμα νεκρόν, tamen spiritum, sc. animam eorum a Spiritu S. inhabitatam, illi, quod uitiosum sit, et mors merito appetetur, resistere atque dominari ualere. Sed de his iam supra actum est. In praesentia iam dicta uerbis Apostoli 1. Cor. VI. 17. illustrabo: 'Ο κολλώμενος τῷ νεκρῷ, ἐν πνεύμα ἐστι. Apostolus eos, qui per fidem cum Christo sunt uniti, et quorum membra per unionem Christi membra sunt facta, a scortatione in Corinthiorum coetu admodum frequenti dehortatur, hocque utitur arguento, quia ille, qui per fidem Christo adhaereat, atque cum eo sit unitus (ο κολλώμενος) unus sit cum eo spiritus, id est, anima eius regenerata tam arcte cum eo sit unita, ut quasi unus existant spiritus anima eius atque Christus. Ille, qui scorto adhaeret, ἐν σῶμα, unum corpus est cum ea carnali commixtione factus; et quemadmodum eiusmodi scortum est σῶμα νεκρόν, quia caro in illud imperium tenet: Ita etiam ille, qui ei quasi agglutinatus. Pariter, qui Christo adhaeret, unus cum eo spiritus existit, sic arcte unitus tum ratione animae, tum corporis, ut talis homo et Christus unus existant spiritus (k). Exinde igitur colligo, cum κολλώμενος τῷ Χριστῷ sit tantum iustificatus, et cum Christo per fidem unitus, τῷ πνεύμα, seu spiritum, qui uita est, modo de regeneratis praedicari. Plura non addam, cum res per se, et

(k) Quae VITRINGA ad h. 1. Obseru. S. libr. III. c. IV. p. 561. seq. de mente Kabballistarum et Platonicorum, ad quam Apostolum allusisse credit, obseruauit, aliis examinanda trado; conf. et AMELIUS in Erörterung der schweren Schrift-Stellen P. II. p. 675. seq. Istud nero obseruo: Etsi Christus et fideles sunt adeo arcte uniti, eos tamen distinctas manere personas, adeo ut unio mystica fidelium cum Christo et unio personalis in Christo recte sint distinguendae et admodum differant, conf. HOLLAZIVS in Examine P. III. p. 302. seq.

et ex superioribus, pateat; Vti non minus et animam et corpus eorum hoc pertinere, Sect. I. §. IX. est ostensum.

§. VIII.

Spiritus autem ipse, qui uita est, non est tertia pars hominis, quam nonnulli tum ueterum tum recentiorum finixerunt, et operose defenderunt, uariis Scripturae locis ad pingendam hanc opinionem abusi, quos refutarunt multi (1). Scriptura de duabus tantum hominis partibus nos certiores reddit, anima et corpore, Genes. II. 7. Eccles. XII. 7. Matth. X. 28. Luc. XVI. 22. sequ. tertiam ignorat. Quando autem πνεῦμα et ψυχὴ distinguit, τὸ πνεῦμα non notat diuersam ab anima hominis partem, sed unam eandemque animam, in aliud redactam statum, ac naturalis eius fuerat conditio, nempe per Spiritum S. regeneratam, atque inhabitatam, conf. Sect. I. §. X. Eorum autem, qui tres statuant partes, sententiam ex I. Thess. V. 23. et Luc. I. 46. 47. nequaquam posse probari, pariter ex superius dictis patet. Sed nec eorum sententiam tuetur locus difficilis I. Cor. XIV. 14. ubi Paulus πνεῦμα et ψῆψις distinguit: τὸ πνεῦμα μὲν προσεύχεται, ὃ δὲ ψῆψις μὲν ἀναγέπτεται. Nam huius loci, qui interpres admodum exercuit, sensum optime sic B. WOLFIVS (m) expressit: *Qui peregrina lingua orat, conscient sibi eorum est, quae ex animo in Dei gloriam profert, at non item sic loquitur, ut fructus redundet in alios, quos in perceptionem uerborum deduci oportebat.* Sic et reliqua eorum ex Scriptura desumita cadunt argumenta. Verba autem B. LVTHERI, ad quae prouocant aduersarii (n), ita scribentis: *Die Schrifttheilt den Menschen in drey Theile etc.* a B. IOACH. LANGIO,

(1) conf. praeter Systemata Dissertationes TEVNERI, WIDEBURGII, KLAWSINGII, aliorumque.

(m) in Curis Philol. et Critic. ad h. l. conf. HOLLAZIVS l. c. P. I. p. 447.

(n) T. I. Ienensi p. 476.

616(0), multisque aliis luculenter sunt vindicata. Aequo minus τὸ πνεῦμα particulam essentiae diuinæ in homine indicat, quam ueteres gentium, philosophi, in primis Pythagoraei, Platonici et Stoici (p) et recentiori aeuo uarii generis Fanatici, maxime POIRETVS et ARNOLDVS exco-gitarunt, atque defenderunt (q). Sed sic homo seipsum dei-ficat, Deoque honorem rapit, quando sibi ipsi diuinitatem adscribit (r). Loca Act. XVII. 28. 29. 2. Petr. I. 4. impiam eorum absurdamque non suffulcire sententiam, iam dudum ostenderunt Interpretes Scripturae S. et Theologi. At his non immorabimur, sed tantum repetimus, quod supra iam satis euictum est, per spiritum hunc intelligi animam rege-neratam una cum corpore, in qua Christus cum Spiritu suo habitat. Nam in regeneratione donatur homini fides sal-uifica, ut ita uiuat in fide. Gal. II. 20. Quam per fidem Dei euadit filius. Io. I. 12. coll. Gall. III. 26. Et per eandem hanc fidem habitat Christus in cordibus regenitorum Ephes. III. 17. Gal. IV. 5. 6. Io. XIV. 23. 1. Cor. III. 16. 17. Ergo anima tantummodo ita regenerata s. cui Spiritus S. operatione sal-uifica, in regeneratione donata fuit fides, est hic spiritus, qui uita existit. Anima quidem etiam in naturali statu, et ex creatione considerata, spiritus est, Genes. II. 7. ubi uocatur loquor non naturali, sed spirituali), sed potius τὸ νεῦμα una cum

(o) in Mysterio Christi P. I. Sect. I. §. 14. seq.

(p) de quibus CL. IAC. BRVCKERVS in elegantissimo opere *Historiae Philosophicae euoluendas* est.

(q) POIRETVM ex instituto refutauit B. IOACH. LANGIVS in XXIV. *Dissertationibus Anti-Poeritanis*, Halae uentilatis.

(r) u. Magnif. D. V. E. LOESCHERVVS, in *Decim. Euangel.* P. I. 3. Zeb-en No. 6. §. 2. p. 217. seq. et P. V. 30. Zeben No. 1. p. 289. seq. GOTTFR. ARNOLDVS in *Theol. Myst.* c. VI. p. 149. diserte: *Ich sage, daß aus einem Christlichen Menschen, ein Gott werde.*

(s) Discremen inter עֲדָד et רַבִּים ex mente Rabbinorum u. apud VITRINGAM *Observ. S. T. I. I. III. c. IV.* p. 549.

cum corpore est uocanda, siquidem per lapsum protoplastorum, quo et nos gloria hac in creatione donata cecidimus, Röm. V. 12. uitam in sensu eminentiori talem perdidit. Ita spiritus quidem est ex Eccles. XII. 7. coll. Prou. XX. 27. sed sensu spirituali mortuus. At a Spiritu S. per uerbum et sacramenta in aliud redacta statum est spiritus uere uiuens, non uita tantum naturali, sed uere spirituali, ita ut et corpus simul hac uita fruatur, et, quando anima hoc sensu spiritus uocatur, una indicetur.

§. IX.

Ipsa autem uita, quae de spiritu regenerato praedicatur, est uita illa spiritualis, ex qua homines, antea secundum naturalem post lapsum considerati statum in peccatis mortui, fide, per operationem Spiritus S. in ipsis producta, uiuificati in regno uiuunt gratiae, et quasi palmites Christo, uiti frugiferae per fidem insiti, fructus ferunt, seu uitales edunt operationes, quibus testantur, se uere nunc uiuere, atque uiribus peccata et iniquitates τοῖς νεροῖς competentes, fugiendi; contra illa, quae Deus praecepit, quaeque eidem placent, peragendi, quamvis carnis in ipsis permanentes illecebreae admodum repugnant, esse instructos. Quemadmodum itaque iam supra Sect. I. §. XV. curatius inter ipsam fidei uitam et uitales eiusdem actiones discrimen statui: Ita et hanc distinctionem hoc loco repeto, eamque hic insuper paucis explicare est animus. Vita uidelicet ipsa spiritualis, quae et gratiae et fidei uocatur uita, ad caput illud doctrine Christianae de *Iustificatione* pertinet, eiusque punctum constituit praecipuum. Nempe iustitia Salvatoris, per quam hominum omnium peccata in se suscepta legem perfecte implendo, et acerbissimam patiendo mortem expiare, et infinitae Dei iustitiae peccatis hominum laesae, plenarie satisfacere uoluit, est uita fidei, eam efficit, et est unicum eius fundamentum, adeo, ut hac remota, homo sit σῶμα νε-

F

νέον,

11.

10.

8.

7.

6.

21.

2.

2.

2.

ἥρον, hacque praesente, seu uera fidei fiducia apprehensa, uera adsit uita spiritualis. Inde PAVLVS in textu nostro diserte scripserat, animam uera exornatam fide, esse ipsam uitam, seu certe uiuere, et praesentissimam in se continere uitam propter iustitiam Christi fidei imputatam, quae efficiat spiritualem hanc uitam, ipsamque constituat. Si enim hacc Christi iustitia uera apprehenditur fide, omnia homini remittuntur peccata, in filium Dei recipitur, sicque in regno uiuit gratiae, ut mors naturae ipsi immanens, hanc tantum uitam oppugnet, sed nil ei noceat, quamdiu uidelicet homo in Christo Iesu maneat, Rom. VIII. 1. Inde PAVLVS hanc uitam a fide, qua Christi meritum amplexus sit, deriuat, dicisque: *Christum in se uiuere; se enim uiuere in fide filii Dei, qui se ipsum pro nobis tradiderit*, Gal. II. 20. Et ad Coloss. II. 13. scribit, Deum nos cum Christo ζωσοῖσας, uiuificasse, χαρισάμενον ὑμῖν πάντας τὰ παραπλήσια. Ex quo intelligitur, quare haec uita spiritualis ζωὴ τῇ Θεῷ appelletur, Eph. IV. 18. quia Deus nos cum Christo conuiuificat. Ergo ii, qui extra Christum sunt, ab hac uita sunt αποτελεμένοι: Qui uero in Christo sunt, ad hanc uitam cum Christo sunt conuiuificati. Pertinet huc Apocal. XX. 4. Quia enim hoc loco, ut recte obseruauit B. WERNSDORFFIVS (t), τὸ ζῆν et βασιλέαν μετὰ Χριστοῦ ad primam refertur resurrectionem ex u. 5. et morti secundae opponitur, omnino τὸ ζῆν de uita fidei s. spirituali est explicandum. In primis huc refero ad Gal. V. 25. εἰ ζῶμεν πνεύματι, πνεύματι καὶ σοιχώμεν. In hoc sane loco Apostolus accurate τὸ ζῆν πνεύματi, uitam spiritualem απὸ τῇ σοιχεῖν πνεύματi, seu uitalibus distinguit actionibus. Nam ζῆν πνεύματi est illud ζῆν καὶ πισένειν, id est ζῶτως πισένειν, seu uiuam habere fidem, de qua loquitur Saluator. Io. X. 26. Vno uerbo: Quod supra dixi, Christus fide apprehensus cum sua iustitia, est uita fidelium, uti anima uitam efficit et

con-

(t) in *Diss. de Morte et Vita Fidelium cum Christo ex Rom. VI. 8. §. 12.*

constituit corporis. Hac praesente et cum corpore coniuncta, seu *in homine existente*, Act. XX. 10. homo uiuit naturaliter: Et Christo in anima existente, eamque inhabitante, homo uiuit spiritualiter, seu Christo *svḡt*, Rom. VI. 8.

§. X.

Vita autem haec spiritualis, quam in iustificatione accepit homo, non est otiosa, sed uitales ostendit actiones, seque per eas exserit. Recte scribit B. LUTHERVS (u): *Geist ist, der inwendig und auswendig lebet und würcket, das zu dem Geist und zukünftigen Leben dienet.* Sane id natura fidei uiuac requirit, seu per quam uiuunt spiritualiter uiuentes, utpote quae semper est operosa. Pariter egregie B. LUTHERVS paulo ante l.c. *O es ist ein lebendig, geschäftig, thätig, mächtig Ding um den Glauben! daß unmöglich ist, daß er nicht solte ohn Unterlaß Gutes würcken.* Er fraget auch nicht, ob gute Wercke zu thun sind, sondern ehe man fraget, hat er sie gethan, und ist immer im Thun. Idem hoc est, quod PAVLVS scribit ad Gal. V. 6. πίσις δι ἀγάπης ἐνεργεύειν (x), *fides per charitatem est operosa;* Vbi ἀγάπη complexum omnium denotat uirtutum, quas fides operatur atque producit. Et quomodo Christus cum Spiritu suo, qui in cordibus fidelium habitat, otiosus esse posset? Sane iste Spiritus Dei filios ad uitales, sanctasque impellit actiones. Ii, qui spiritum habent, qui uita est, πνεύματι Θεῷ (qui illum inhabitat) ἀγοντα, ex Rom. VIII. 14. Ad quidnam? Ad fructus fidei uiuac, quae in iustificatione uitam accepit, internos et externos. Vitales has actiones PAVLVS post textum nostrum egregie a u. 12. ss. descripsit: Ostendit enim, sic spiritu uiuentes omnino τὸ κατὰ σάρκα ζῆν, s. *uitam secundum carnem*, debere fugere ex u. 12; eorum esse τὸ τὰς πράξεις

F 2

τρ

(u) in aurea Praefat. Epistolae ad Romanos praemissa.

(x) Vox ἐνεργεύειν nequaque cum BELLARMINO passione est explicanda, quasi fides ab amore uitam acciperet, sed actiue. u. B. BALDVINV S ad h. l. qui illum solide refutauit.

τὸς σώματος θανάτου, actiones corporis (scil. τὸς νεκρῶν) mortificare ex u. 13. et tandem eos, si uel maxime filii essent Dei, ductum Spiritus Dei ad optimas sequi debere actiones, ex u. 14. Et haec duo, uitiorum nempe, seu carnalium actionum fuga, et studium omnium uirtutum iis, qui spiritum nacti sunt, qui uita est, omnino incumbunt. Moriendum uidelicet est carni, et iustitiae uiuenduni. Publice BERNHARDVS (y): *Bona mors, si moriaris peccato, ut iustitiae uiuas.* Id quod PAVLVS Rom. XII. 9. ita expressit: Αποστυγέντες τὸ πονηρὸν κολλώμενοι τῷ ἀγαθῷ. Vitales intelliguntur illae actiones, quae iis, qui spiritu uiuunt, competit omnibus: Τὸ νεκρῶν uidelicet mortificato ea sectantur, ad quae Spiritus Dei ipsos impellit.

§. XI.

Sed sine lucta, sine uehementiori certamine id fieri nequit: Τὸ νεκρὸν enim, summo repugnat opere. Id quod PAVLVS admodum deplorauit Rom. VII. 14. sequ. Haec est illa pugna, illaque militia, quae Christo addictos, dum in hoc uiuunt mundo, exercet atque delassat, in qua uidelicet τὸ νεκρὸν, quod a lapsu originem trahit, quodque ipsis inest et immanet, et alias uetus dicitur *homo*, semper spiritui, quem in regeneratione acceperunt fideles, seu *nouo homini* repugnat. Id est quod PETRVS I. Ep. II. u. II. in animum iis reuocat, adfirmans, τὰς ἐπιθυμίας σαρκας σεατενεθα κατὰ τῆς ψυχῆς: Et IACOBVS c. IV. 1. hostem, cum quo pugnat spiritus, qui uita est, uocat τὰς ἡδονὰς σεατενομένας ἐν τοῖς μέλεσι conf. Gal. V. 17. 24. 25. Inde AVGUSTINVS (z): *Nullum sine bello intestino diem ducis;* Et CHRYSOSTOMVS (a): *Ἄγων ἐστιν ὁ παιεὼν χεόνος, πόλεμός ἐστιν οὐαὶ μαίχη.* Nec repugnat PAVLVS, quando ad Ephes. VI. 12. scribit, quod lucta Christianorum non sit πόλες αἱρεα οὐαὶ σάρκα, aduersus

(y) *Epistola CV.*

(z) adu. Iul. libr. IV. c. XVI.

(a) *Orat. XV. in Acta.*

uersus sanguinem et carnem. Nam per sanguinem et carnem minus recte hoc loco intelligitur a quibusdam corrupta natura. Potius haec loquendi forma periphrastice hominem describit, ut Matth. XVI. 17. Hebr. II. 14. Mens Apostoli est: Pugna nobis non est aduersus homines, qui faciliter uinci possunt, quia sunt *άνθρωποι στολές*, sed aduersus spiritus seu daemones malos. Ex quibus patet, Christianorum hostes non esse unius generis, sed stare aduersus ipsos in acie, diabolum mundumque. At in primis in corpore habent atque in sinu souent hostem, ipsis nimis aduersum atque repugnantem, nempe *τὸν φόνον*, quod ipsis maiori robore resistit, atque eo periculosior hostis est, quia est internus. Inde toties repetitae Spiritus S. ad fortitudinem in Scriptura S. adhortationes.

§. XII.

Nec enim desperandum est militi Christiano in hac pugna: Fortibus instructus est armis, maximisque praesidiis circumunitus (b). In his primo loco ponendus est *θύρας τῆς δικαιοσύνης*, ex Eph. VI. 14. aut *θύρας τῆς πίστεως*, ex u. 16. Nam eadem arma aduersus internum, quae aduersus externos usurpant hostes, Christiani. Iam allegatum uero telum Apostolus etiam in textu nostro militi in acie stanti aduersus *τὸν φόνον* et tristitiam inde ortam commendat. Ita quasi fideles alloquitur: Si in acie statis aduersus *τὸν φόνον* di *άπομαρτυρῶν*, si tristitia inde orta uos angit, ne desperetis, sed iustitia Christi uera fide apprehensa nitamini; Quo palladio muniti inexpugnabiles eritis. Et paulo post textum nostrum ipsis maxime internum aduersus hostem Spiritus S. ductum et interius testimonium, spiritui fidelium datum, ut tutissima commendat praesidia, maxime u. 16. his usus uerbis: *Αὐτὸν τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν, ὅτι ἐσμὲν τέκνα Θεοῦ*. Contendit, quam-

(b) Eleganter haec descripsit Doctissimus Anglus Io. ARROWSMITH in libro: *Tactica sacra, seu de milite spirituali Pugnante, Vincente et Triumphantem*, Amstelod. MDCC. euulgata.

quamvis Christiani fortiores sentiant interni hostis insultus, iis tamen animo non esse deficiendum, quia animae ipsorum regeneratae insit Spiritus Dei, qui hac in lucta constitutis ipsis testimonium perhibeat, ipsos Dei esse filios. Cesset proinde omnis ob τὸν νεκρὸν tristitia. Iustitia Christi uera fide apprehensa, ductu Spiritus S. ex testimonio eius, cordibus, de statu filiorum Dei perhibito, illud potest uinci atque supprimi. Bene ΤΗΕΟΔΟΡΕΤVS (c) "Οπλα ἔχομεν, τὰς πνεύματος τὰς χαρισμάτα, διὰ ὧν νικηφόροι γνόμεθα, καὶ τὰς ἀντιτίθεντας ὑποτάττομεν τῷ Δεσπότῃ, habemus arma, dona Spiritus, per quae uictores euadimus, et eos, qui resistunt, Domino subiicimus. Plura non addam.

§. XIII.

Faxit Numen, ut ii, qui Christo nomen dederunt, sic pugnant, ut uincant atque triumphent! Absit, ut τὸν νεκρὸν διαπεριλαν in plurimis dominetur, ut potius praecipua eorum pars (si non omnes,) spiritu, qui uita est, propter iustitiam sint exornati, quo hac muniti armatura, omnes satanae, mundi, et carnis insultus repellant, fugent, atque prosternant, ac tandem coronas ob uictoram ab hostibus reportatam in coelo gestantes, in aeternum triumphent! Et cum in ecclesia militante unum insuper, pugnae genus praeter tria illa sit residuum, quod coetus sacri doctoribus in primis est fuscipendum, utpote quibus in acie contra ueritatis aduersarios est standum, in uotis habeo, ut coetui puriori tales ne desint heroës, qui fortissimo praediti animo, hocce certamen strenue adeant, fortiter continent, animose depugnant, ac ueritatis regnum tuentes, non nisi uictores inde discedant! Puriori atque ab omnibus repugnato erroribus adsit Numen coetui, huncque in ueritate conseruet lūa, quia uerbum ipsius est ueritas!

(e) ad 2 Corinth. X. 4.

+ qui iuratis tressam prescam
A. Hofmann de rayet, nunc

Index.

1. Irenius Harmonia Perpetuum sanctissimi Servatoris, seu Scripti.
2. L.D. (sub quibz litteris: Calz, aleb, Engelhardas) Buccinator Romanus ex h[ab]it. Parf. dom. expulsi.
3. Irenius de Ture Vite & Necris tempore mortis Servatoris ap. iud. non amplius superstite.
4. Ferdinus de Synagoga Libertinorum, ad Act. vii. 9.
Bahr Vinaliose dicti classici Act. xvii. 11. (Vid. Tom. II. ad Bibl. V.T. ad hanc * notam.)
5. Eschke de Nausagio Paulino, ad Act. xxvii. 41.
6. Stratius de Spiritu qui vita est propter iustitiam ex Rom. viii. 10.
* Hofmannus de Variis modis transitum ad Ruthenorum Sacra excusandi.
** Bauer de Aenigmate Prophetie Zacharie Cap. x. 17.
7. Wilckens Specimen Antiquitatum Corinthiacarum selectarum.
8. Fibichius de Articulis Fidei christiana fundamentalibz & non fundam: eccl. l. I. Cor. iii. 10 ^{1/2}
9. Weizel de Finali ad Deum Triumnum Pauli voto II. Corinth. xiii. 13.
10. Heiken de Barbaro & Scytha. Cap. III. 11.
Hebenstreit de Christo, quod, & quos sensu, Veritas sit. Eccl. l. I. Tim. iii. 10. (V.T. II. ad Bibl. V.T. ad hoc signum)
11. Huthius de Morte Redemptoris in Ligno. I. Petr. ii. 24.
12. Nonnen de Peccato ad Mortem, de quo I. Joh. v. 16. 17.
13. Anonymus de Peccato ad Mortem: seu in Scriptam S. ex I. Joh. v. 16.
14. Reiffers Sanotificans & qui sanctificantur operereis. ex Hebr. ii. 11.
15. Peppus in Verba sacra Hebr. viii. 4.: Si Christus esset in terra, projecto Sacerdos non esset.
16. Baumgarten Examen variantium lectionum in Ep. Iacob. obriarum.
17. Wechlerus de Sapientia ecclesi Theologum orante: ad Iac. iii. 17.
18. Petrolodus de Mutua peccatorum confessione Iac. v. 16.
19. Irenius de Uincione agnitorum precibz iuncta & mutua offensionum confessione b. c. ad Iac. v. 14. 15. 16.
20. Paldamus de Corpore Christi mystico, ad Apoc. v. 14-16.
21. Schoch de Angelis Ecclesia Thiatirena, ad Apoc. ii. 18.
22. Carissau de Christi confusio Laodicibus dato, ad Apoc. iii. 18.
23. ab Hemeser in Epistolam apocalypsicam ad Angelum ecclesie Philadelphie.
24. Nonnen de Microbluma Celesti, sive sponsa Agni, particulari beatiorum in ecclesie societate.
25. Nazarius de Miraculis Christi typicis.
26. Nonnen Observations quadam de Demoniacis, quorum in N.T. fit mentio.
27. Gaffius de Apostolo Paulo.
28. Gotterus de Obscuritate Epistolis Pauli falsa tributa.
29. Donatus de Potestate singulari vocis Angelorum in Scriptura S. N.T.

22.



22.

gi, quo etiam eorum cœcitas removeamus additum statim Servatoris scopum
nge oculos tuos, *ινα θετης.* Visus hic
mentis oculorum cognitionem. Lao-
uriā cœci erant, adhortatur Dominus,
n, eoque oculos inungant in expecta-
m ac perfectlye clarum iterum adipiscen-
m illis iterum restituere posset visum
oientium pectora luce sapientiae illumina-
tatem contemplandam oculi cordis ape-
quis ad talia beneficia largienda magis
potentior^s quam Christus Dominus no-
m est, qui discussa omni caligine, co-
minis mentes nostras imbutit. Vid.
ius hac de re agens l. c. p. 842. Cl.
• Nunc nil supereft, quem ut nostra
desinat voto, ut post deperditi ac mi-
laodicenæ status implementum, omnia
nsilium hoc suave Domini sequantur,
a à Christo emant, & possessione eo-
ternam ipsorum salutem gau-
deant. Tantum.

Emendandum.

VII. Ubi sententiam Duporti viri græcæ
fimi quidem amplectimur, sed post ac-
examen relinquimus, cum contrarium
ntes græci Historiographi.

uterpe, seu Lib. Secundo p. 119. Cap.
οι δὲ εἰγίνεα εἱματος λευκὰ ἐπαναβληδον φρε-
(vestes lineas) candidas ferunt iogas (amis-

ibidem: Οὐδὲ γάρ τέταν τῶν ἔργων μετε-
ειγίνεσθαι εἰναις θαφθῆναι. Neque enim ha-
rincipem, laicis indutum vestibus se peliri re-

Rursum